SYNOPSIS

ADDITIONUM ET VARIATIONUM

IN EDITIONE TYPICA

MISSALIS ROMANI

FACTARUM

———×———

PROPOSITA

A

FRANCISCO BREHM

SACERDOTE

CLERICS LIBRARY
THEOLOGIANS
O. F. M.
PROV. S. BARBARAE
Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

RATISBONÆ

SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET

S. SEDIS APOSTOLICÆ ET S. RITUUM CONGREGATIONIS TYPOGRAPHI

ALIÆ DOMUS: COLONIÆ, ROMÆ ET VINDOBONÆ

NEO EBORACI ET CINCINNATI: FR. PUSTET & CO.

1920

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 2 Septembris 1920

Dr. Scheglmann,
Vic. gen.

H 3499

PRÆFATIO

Cum, plus quam sex annorum spatio interjecto, Breviarii Romani editionem typicam tandem secuta sit editio quoque typica Missalis Romani, Vaticanis typis impressa, plurimorum votis satisfecisse mihi videor, præcipuas et capitales mutationes in Rubricis et corpore Missalis factas hocce in fasciculo indicando.

Ad præcavendas tamen erroneas opiniones præmittendum est, quod hæc, quæ nunc feliciter ad finem deducta est, Missalis Romani revisio, juxta mentem S. Rituum Congregationis, ad tempus tantum facta sit, usque dum post longam annorum seriem[1]) ad definitivam non solum Missalis, sed et Breviarii Romani recognitionem procedi possit. Est nempe hæc, ut ita dicam, interimistica Missalis revisio non tam proprie liturgica, quia — paucissimis casibus, infra indicandis, exceptis — a textus liturgici correctione prorsus abstinendum esse videbatur, quam potius rubricistica, eo sensu, quod non solum Missarum quarumdam series et ordo aliter erat disponendus, sed et Rubricæ tam generales quam speciales erant adaptandæ ad normam Constitutionis Apostolicæ *Divino Afflatu* necnon S. Rituum Congregationis decretorum ab ultima Missalis editione typica,

[1]) Cfr. Motu Proprio Pii PP. X *Abhinc duos annos* d. d. 23 Octobris 1913.

anno jubilæi 1900 facta, usque ad hodiernum diem editorum, attentis quoque quibusdam canonibus Codicis juris canonici.

Novarum vero Rubricarum certa et accurata cognitio unicuique Celebranti omnino necessaria est, tunc præsertim, cum casus occurrunt — in ecclesiis particularibus —, qui in annuo directorio sive Ordine celebrandi Missas minime tractantur nec tractari possunt, ob eorum multitudinem nimiamque varietatem. Quæ cognitio ut facilius comparetur, — pro usu tironum præsertim eorumque Confratrum, qui nimiis laboribus in cura animarum suscipiendis arcentur, ne ex professo acriori Rubricarum studio operam dare possint — inprimis textum novarum Rubricarum notis declaratoriis illustravi, deinde ex Rubricis Missalis tam generalibus quam specialibus necnon ex Additionibus et Variationibus in editione typica Missalis factis, de præcipuis quæstionibus circa Missam scitu necessariis Regulas excerpsi, quibus ea, quæ in diversis Rubricis et S. R. C. decretis sparsim continentur, in uno conspectu posita et generibus illustrata proponantur.

Qui vero fusiorem et ampliorem adhuc materiæ subjectæ tractationem desiderant, hos delegare liceat ad librum a me germanice conscriptum et per eumdem typographum impressum, cui titulus est: *Die Neuerungen im Missale*, 8°, pag. 452. 1920.

Ratisbonæ, die 28 Augusti 1920.

Franciscus Brehm.

I

ADDITIONES ET VARIATIONES

IN RUBRICIS MISSALIS

AD NORMAM BULLÆ „DIVINO AFFLATU"

ET SUBSEQUENTIUM S. R. C. DECRETORUM

NOTA

In sequentibus habes textum novarum Rubricarum authenticum; notæ vero infra positæ ab auctore hujus libelli per modum declarationis additæ sunt.

I

ADDITIONES ET VARIATIONES[1]

IN RUBRICIS MISSALIS

AD NORMAM BULLÆ „DIVINO AFFLATU"

ET SUBSEQUENTIUM S. R. C. DECRETORUM

I. De Feria et de Vigilia

In omnibus Feriis Quadragesimæ post diem Cinerum, ac Passionis ante Dominicam Palmarum, in Feriis Quatuor Temporum extra Octavam Pentecostes,[2] et in Vigiliis communibus, si occurrat Officium duplex aut semiduplex, in ecclesiis in quibus adest obligatio Chori, duæ dicuntur

1. Sicuti paucis ante in Breviarii, ita nunc et in Missalis reformatione S. Rituum Congregatio, pluribus adducta rationibus iisque sane gravibus, a Rubricis generalibus Missalis integre et totaliter novis componendis abstinendum esse censuit; quare Additiones et Variationes tantum exhibet faciendas in Rubricis generalibus Missalis ad normam Bullæ *Divino afflatu* et plurimorum S. R. C. decretorum non solum subsequentium, sed et præcedentium. Ratio autem præcipua, qua S. R. C. ad hunc agendi modum permota est, in eo sita esse videtur, quod præsens, quæ nunc tandem ad finem feliciter deducta est, reformatio sit tantum ad interim, definitiva plura demum post decennia sequente.

2. Ergo breviter: In omnibus Feriis majoribus non privilegiatis, propriam Missam habentibus, non exclusa Feria II Rogationum, de qua tamen speciatim tractabitur in hujus tituli num. 3 subsequenti.

Missæ conventuales: una de Officio diei, sine Commemoratione Feriæ aut Vigiliæ, sed cum aliis Commemorationibus forte occurrentibus; altera de Feria aut Vigilia, sine Commemoratione Officii diei. Harum tamen una tantum dicitur in Choro, cum assistentia Choralium; altera vero, sine hujusmodi assistentia, legitur extra Chorum.[3] Missa porro in Choro dicenda cum assistentia Choralium, in Duplicibus 1 et 2 classis et per Octavas privilegiatas 2 ordinis, est Missa de Officio currenti; in reliquis Duplicibus et Semiduplicibus, Missa de Feria aut Vigilia.[4] In Duplicibus tamen 1 classis nihil umquam fit de Vigilia non privilegiata,

3. Mitigatio a Pio X concessa in Rubricarum novi Psalterii una cum Bulla *Divino afflatu* promulgatarum titulo XII. Prius nempe unaquæque Missa conventualis in Choro dicenda erat.

4. Mutatio plane essentialis, novum jus condens. In prædicto titulo XII Rubricarum anno 1911 una cum Psalterio editarum constitutum erat, ut Missa conventualis dicenda in Choro semper esset conformis Officio diei, paucis casibus exceptis, pro quibus Rubricæ aliter disponebant. Porro ad augendum honorem prædictarum Feriarum propriam Missam habentium et Vigiliarum communium in eodem titulo XII concedebatur, ut Missæ privatæ, quoties occurreret talis Feria aut Vigilia cum Festo duplici majori vel minori aut semiduplici, dici possent aut de Feria vel Vigilia cum Commemoratione Officii diei aut de Officio diei cum Commemoratione Feriæ vel Vigiliæ. Quodsi consideretur, quantopere alias inculcent Rubricæ, ut Missa concordet cum Officio, ita ut in Duplicibus nullam admittant Missam votivam, quæ pro re gravi et publica simul causa non sit, fatendum est, magnum fuisse honorem talibus Feriis et Vigiliis tributum. At vero his non contenta, nunc in reformatione Missalis amplius progressa est S. Rituum Congregatio. Nempe ut istarum Feriarum et Vigilia-

juxta Rubricas. De die item infra Octavam communem, si in Feriis aut Vigiliis supra recensitis occurrat, non dicitur Missa conventualis, sed fit tantum Commemoratio in Missa de Feria vel Vigilia. Missæ autem privatæ omnibus his diebus ad libitum Celebrantium dici possunt aut de Feria vel Vigilia, cum Commemoratione Officii diei; aut de Officio diei, cum Commemoratione Feriæ vel Vigiliæ. Si tamen Officium occurrens sit Duplex 1 aut 2 classis, aut Octava privilegiata 2 ordinis, Missa privata de Feria vel Vigilia non permittitur.

2 Si qua ex dictis Feriis et Vigilia simul occurrant,[5] Missa conventualis dicitur de Feria, cum Commemoratione Vigiliæ; et Missæ privatæ dici possunt aut de Feria aut de Vigilia, cum Commemoratione alterius. At, si fiat Officium duplex, vel Octavæ privilegiatæ, vel Festi semiduplicis, duæ dicuntur Missæ conventuales, ut supra:[6]

---

rum dignitas magis adhuc augeretur atque clarescceret, statuit, ut Missa etiam conventualis dicenda in Choro semper esset de Feria vel Vigilia, quoties occurrerent cum Officio duplici majori vel minori aut Festo semiduplici; et tunc tantum extra Chorum legeretur, quoties Officium occurrens esset Duplex 1 vel 2 classis aut Octava privilegiata 2 ordinis.

5. In numero 1 agebatur de casu, quo talis Feria aut Vigilia occurrant cum Officio duplici vel semiduplici; in hoc numero normæ statuuntur pro casu, quo aliqua ex dictis Feriis et Vigilia simul occurrant, insuper pro altero casu, quod insuper occurrat Officium duplex vel Octava privilegiata vel Festum semiduplex.

6. Id est de Officio duplici 1 vel 2 classis et de Octava privilegiata 2 ordinis Missa dicitur in Choro, et extra

una de Officio diei, sine Commemoratione Feriæ et Vigiliæ, sed cum aliis Commemorationibus forte occurrentibus;[7] altera de Feria cum Commemoratione Vigiliæ; et Missæ privatæ dici possunt aut de Feria, aut de Vigilia, aut de Officio diei, cum Commemoratione de eis de quibus non dicitur Missa.

3 Item in Feria II Rogationum, si occurrat Officium duplex, vel Octavæ privilegiatæ, vel Festi semiduplicis, duæ dicuntur Missæ conventuales, ut supra; num. 1;[8] sed, ubi fiat Processio, occurrente Duplici 1 aut 2 classis, in Choro dicitur tum Missa de Officio diei, tum Missa de Rogationibus, ut supra. In reliquis vero diebus Litaniarum, tam majorum quam minorum, in quibus occurrat Officium duplex, aut semiduplex, aut diei Octavæ vel Festi simpli-

---

Chorum legitur Missa de Feria cum Commemoratione Vigiliæ; e contra, si occurrat Officium duplex majus vel minus aut Festum semiduplex, Missa in Choro dicitur de Feria cum Commemoratione Vigiliæ, et extra Chorum legitur Missa de Officio currenti.

7. Juxta principium infra in tit. V, num. 4 statutum, secundum quod, si plures ea die celebrentur Missæ conventuales, Commemorationes fiunt in ea Missa, cujus indolem seu rationem participant, ita ut Commemoratio de Vigilia fiat in Missa Feriæ, et de Octava in Missa Festi, et vicissim.

8. Id est in Choro Missa dicitur de Officio duplici 1 vel 2 classis et de Octava privilegiata 2 ordinis, et extra Chorum legitur Missa de Feria II Rogat.; e contra, si occurrat Officium duplex majus vel minus aut Festum semiduplex, in Choro dicitur Missa de Feria II Rogat., et extra Chorum legitur Missa de Officio currenti.

cis,[9] aut Vigiliæ Ascensionis: 1) Si non fiat Processio, dicitur unica Missa conventualis de eodem Officio, cum Commemoratione Rogationum. Dicitur etiam unica Missa conventualis de Rogationibus in Feria III Rogationum, si Officium fuerit de Feria currenti; et unica pariter Missa conventualis de Vigilia Ascensionis, cum Commemoratione Octavæ ac Rogationum, si ipsa Vigilia in Officio diei infra Octavam communem commemorata fuerit. At, si eadem Vigilia ab Officio vel duplici, quod non sit 1 classis,[10] vel Octavæ privilegiatæ, vel Festi semiduplicis fuerit impedita, duæ dicuntur Missæ conventuales, ut supra, num. 1,[11] cum Commemoratione Rogationum in Missa Vigiliæ. 2) Si vero fiat Processio, in Choro dicitur Missa de Rogationibus, et extra Chorum, præter Missam de Vigilia commemorata Ascensionis in Feria IV Rogationum, etiam Missa de Officio diei, ut supra, num. 1;[12]

9. Simplicis in sensu reduplicativo; ergo: diei Octavæ simplicis vel Festi simplicis.

10. Juremerito additur: quod non sit 1 classis; „in Duplicibus enim 1 classis nihil umquam fit de Vigilia non privilegiata, juxta Rubricas", uti supra in numero 1 dicitur.

11. Id est in Choro dicitur Missa de Officio duplici 2 classis et de Octava privilegiata 2 ordinis, et extra Chorum legitur Missa de Vigilia; e contra, si occurrat Officium duplex majus vel minus aut Festum semiduplex, in Choro dicitur Missa de Vigilia, et extra Chorum legitur Missa de Officio currenti.

12. Si ergo in Feria IV Rogationum occurrat Officium aliquod duplex vel Festum semiduplex, et si fiat Processio, tunc tres dicuntur Missæ conventuales, una de Officio

nisi Officium fuerit Duplex 1 vel 2 classis, aut de Octava Paschatis, quo in casu Missa conventualis tam de Officio diei quam de Rogationibus dicitur in Choro, ut supra. Attamen non dicitur Missa conventualis, sed fit tantum Commemoratio, in Feria quidem III Rogationum, de Officio diei infra Octavam communem, ac diei Octavæ Simplicis vel Festi simplicis, in Missa Rogationum; in Feria autem IV Rogationum, de Officio ipsius diei infra Octavam, in Missa Vigiliæ Ascensionis. Missæ porro privatæ de Rogationibus permittuntur tantum in Feria II Rogationum, si Duplex 1 vel 2 classis non occurrerit; et in Feria III Rogationum, si Officium fuerit de Feria currenti. In omnibus autem Litaniarum diebus, fit Commemoratio Rogationum in omnibus[13] Missis privatis, quæ non sint Defunctorum; et etiam in Missis cantatis et conventualibus, nisi celebretur Missa in cantu vel conventualis de Rogationibus.[14]

---

diei, altera de Vigilia (quæ tamen omittitur in Duplici 1 classis), tertia de Rogationibus. Quomodo hæ Missæ dicendæ sint, dijudicandum est e ritu Officii occurrentis, ut supra satis innuitur.

13. Innovatio magni momenti. Hucusque in Officio duplici 1 classis Feria III vel IV Rogationum occurrenti Commemoratio Rogationum omittenda erat; in posterum vero hæc Commemoratio facienda est in omnibus Missis privatis, quæ non sint Defunctorum; immo etiam in Missis cantatis et conventualibus, si non celebretur Missa in cantu vel conventualis de Rogationibus; et hæc valent pro omnibus Litaniarum diebus, ergo etiam pro Litaniis majoribus die 25 Aprilis occurrentibus.

14. Nemo non videt, Regulas pro diebus Litaniarum

4. In Ecclesiis autem in quibus una tantum habeatur Missa conventualis,[15] quoties occurrat aliqua ex Feriis vel Vigiliis num. 1 et 2 recensitis, et, si non fiat Processio, in Feria II Rogationum, ipsa Missa conventualis, in Duplicibus 1 et 2 classis et per Octavas privilegiatas 2 ordinis, dicitur de Officio diei, cum Commemoratione Feriæ, et, extra Duplicia 1 classis, Vigiliæ. In Duplicibus vero majoribus vel minoribus, et in Semiduplicibus, eadem Missa dicitur de Feria aut Vigilia, cum Commemoratione Officii diei; et, si Feria ac Vigilia simul occurrant, de Feria, cum Commemoratione Officii diei ac Vigiliæ, et aliis Commemorationibus forte occurrentibus. Item in diebus Litaniarum, tam majorum quam minorum, si fiat Processio, et in Ecclesia habeatur unica Missa, ea dicitur de Rogationibus, cum Commemoratione Officii diei; nisi hoc fuerit Duplex 1 classis, quo in casu dicitur Missa de Festo, cum Commemoratione Rogationum.

5. In Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato infra hebdomadam IV Quadra-

---

nunc proponi multo majore cum claritate et perspicuitate, quam antea. Vide etiam Rubricas speciales Missæ Rogationum *Exaudivit* adnexas.

15. In regulis num. 1—3 expositis supponitur, in ecclesiis, quibus adnexum est onus chorale, plures juxta Rubricas fieri posse Missas conventuales; in hoc numero providetur etiam casui, quod in talibus ecclesiis una tantum habeatur Missa conventualis, et indicatur, quid hoc in casu faciendum sit.

gesimæ, Missa, in qua Ordines conferantur, semper dicitur de Sabbato; et in ea, si alia ibi non habeatur Missa cantata vel conventualis, fit Commemoratio de Officio currenti, etiam Duplici 1 aut 2 classis, et aliæ quæ occurrant.[16]

6 Si Missa alicujus Dominicæ (non tamen Dominicæ in die 5 Januarii repositæ, nec Dominicæ post Epiphaniam aut Pentecosten in Sabbato anticipatæ) sua die ab Officio nobiliori impediatur, et nulla infra hebdomadam subsequentem occurrat dies, in qua fieri valeat Officium de Feria Missam propriam non habenti; tunc ipsa Dominicæ Missa resumitur[17] prima infra heb-

16. Juxta Decretum S. R. C. 3642 ad 3 hæc Ordinationis Missa nullam admittebat Sanctorum occurrentium Commemorationem. Porro juxta Decretum S. R. C. 4194 ad 7 in hac Ordinationis Missa non erat facienda Commemoratio Simplicis vel Simplificati occurrentis, excepto Sabbato Pentecostes, et quando Officium fuerit de Feria. Abhinc vero qualecumque Officium occurrens commemorari oportet, non excepto Duplici 1 aut 2 classis.

17. En, quantopere sollicita sit S. Rituum Congregatio, ut dignitas Missæ dominicalis suum consequatur honorem! Juxta tit. IV, num. 3 Rubricarum gen. Missalis Missa Dominicæ præcedentis ab Officio nobiliori impedita prima die subsequentis hebdomadæ, in qua fiat Officium de Feria minori, resumi debet. At vero hæc constitutio ante reformationem Pianam vix umquam suum consecuta est effectum. Nam in plerisque Diœcesium vel Institutorum religiosorum Kalendariis provisum erat, — plurimis in Kalendario receptis Festis, quæ ad Diœcesim vel Ordinem seu Congregationem vix ullam habebant relationem — ne Officium feriale occurreret recitandum. Quem abusum ut, quoad ejus fieri poterat, tolleret, Pius X in Rubricis Bullæ *Divino afflatu* adjunctis constituit, ut non tot Officia minora Missam Dominicæ impedire possent; deinde

domadam die, in qua unum e sequentibus celebretur Officiis, selecto quidem Officio, si suppetat, juxta hunc ordinem minus nobili, scilicet: 1) de Festo simplici; 2) de sancta Maria in Sabbato; 3) de die Octava simplici; 4) de die infra Octavam communem, vel, hac deficiente, de die infra Octavam privilegiatam pro particulari tantummodo ecclesia concessam; excepta tamen die in quam simul inciderit Feria Missam propriam habens, aut quælibet Vigilia; 5) denique de die infra Octavam in universali Ecclesia privilegiatam, dummodo agatur de Dominica infra respectivam Octavam occurrenti, et non de alia Dominica ante eam Octavam impedita,[18] et nulla item

perplurima Festa ad Diœcesim vel Ordinem seu Congregationem nullam relationem habentia ex Kalendariis particularibus expunxit, insuper in die, in qua Missa Dominicæ præcedentis impedita primo resumenda occurrit, omnes Missas privatas votivas et Defunctorum interdixit. At vero his non contenta, S. R. C. amplius progreditur, præsenti num. 6 præscribendo, ut, quoties nulla infra hebdomadam subsequentem occurrat dies, in qua fieri valeat Officium de Feria Missam propriam non habenti, resumenda sit ipsa Dominicæ Missa prima infra hebdomadam die, in qua unum ex supra recensitis Officiis celebretur.

18. Sume exempla: a) Dominica I post Pentecosten perpetuo impeditur a Festo Ssmæ Trinitatis; quodsi Feria II vel III vel IV subsequenti occurrat Feria minor, aut, hac deficiente, celebretur unum ex supra commemoratis Officiis, in ea primo resumenda est Missa Dominicæ impedita. Quodsi talis Feria vel Officium tale non occurrat, Missa resumi non potest, quia sequitur Festum Ssmi Corporis Christi cum sua Octava privilegiata; infra hanc Octavam vero tantum Dominica infra Octavam occurrens impedita resumi potest, ut exemplo mox sequenti declarabitur. b) In Dominica infra Octavam Ssmi Corporis Christi

occurrat Vigilia. In hujusmodi porro resumptionis die dicitur unica Missa conventualis de ipsa Dominica, et in eadem Missa fit Commemoratio de Officio diei, et aliæ quæ occurrant. Missæ autem privatæ dici possunt aut de Officio diei, cum Commemoratione Dominicæ, aut de ipsa Dominica, cum Commemoratione Officii diei; additis in utraque Missa aliis Commemorationibus, ut supra.

II. De Missis votivis

In omnibus Officiis duplicibus, in Dominicis, licet anticipatis, vel, etiam quoad Officium, repositis, per Octavas privilegiatas, in Feriis Quatuor Temporum, in Feriis Adventus a die 17 ad 23 Decembris inclusive occurrentibus,[19] in Feriis Quadragesimæ

---

occurrat Festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ. Feria II subsequenti, in qua agitur de die V infra Octavam privilegiatam, — non obstante Festo duplici simplificato — primo resumenda est Missa Dominicæ præcedentis impedita. Si vero occurreret Feria II Duplex 1 classis vel Vigilia communis, tunc Missa Dominicæ resumi debet Feria III, et si in ea iterum Duplex 1 classis celebretur aut occurrat Vigilia communis, Feria IV. Quodsi etiam Feria IV Duplex 1 classis aut Vigilia communis occurrat, resumptio amplius locum habere non potest. Notatu tamen dignum est, quod infra hanc Octavam Ssmi Corporis Christi sæpe obligatio resumptionis Missæ Dominicalis impeditæ urgere potest, quia præter Festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ etiam aliud Officium Duplex 1 classis in Dominicam infra Octavam prædictam incidere potest, ex. gr. Festum Patroni loci vel Titularis ecclesiæ.

19. Innovatio essentialis! Hisce in Feriis hucusque Missæ votivæ privatæ sine cantu permissæ erant, quoties non occurrebat Feria Quatuor Temporum.

a die Cinerum, et Passionis ad Feriam IV Majoris Hebdomadæ inclusive, in Feria II Rogationum, in Vigiliis et in diebus Octavis simplicibus,[20] etiam si de eis Commemoratio tantum facta fuerit in Officio,[21] necnon diebus in quibus primo resumenda sit Missa Dominicæ impedita, prohibentur Missæ votivæ privatæ sine cantu; quæ proinde legi tantum possunt, ex rationabili tamen causa,[22] in Festis semiduplicibus, diebus infra Octavas communes, Feria VI post Octavam Ascensionis, et in omnibus Officiis ritus simplicis superius non exceptis.

2 Missa votiva pro Sponsis, cum propria benedictione, permittitur quotidie per annum extra tempus clausum; et etiam tem-

---

20. Innovatio essentialis! Etiam in diebus Octavis simplicibus hucusque Missæ votivæ privatæ sine cantu non erant prohibitæ.

21. Nota bene: etiam si de eis Commemoratio tantum facta fuerit in Officio. Ex. gr. die 29 Julii in Festo semiduplici S. Marthæ Virginis per se tales Missæ votivæ permittuntur. Ubi vero Commemoratio facienda sit diei Octavæ simplicis S. Magdalenæ, sororis ejus, non permittuntur.

22. Quod in titulo IV, num. 3 Rubric. gen. Missalis de Missis votivis intimatur, ut non fiant nisi rationabili de causa, hoc loco iterum urgetur: ex rationabili tamen causa. Rationabilis causa est petitio facta a dante eleemosynam, ut celebretur Missa votiva in sensu liturgico, aut specialis Celebrantis erga aliquod Mysterium vel Sanctum devotio; rationabilis causa vero non est Celebrantis mera commoditas, ex. gr. ut per Missam votivam evitet longam Epistolam vel longum Evangelium alias dicenda. Si vero laboret ex oculorum potestate visiva, etiam hæc evitationis ratio causa rationabilis, immo gravis esse potest. Vide infra pag. 168.

pore clauso, quoties Ordinarius loci ex justa causa benedictionem nuptialem permiserit.[23] Excipiuntur Dominicæ, Festa de præcepto, licet suppressa, Duplicia 1 et 2 classis, Octavæ privilegiatæ 1 et 2 ordinis, Feriæ ac Vigiliæ privilegiatæ. In his autem casibus exceptis dicitur Missa de die, in eaque additur Oratio pro Sponsis, sub unica conclusione cum prima,[24] atque datur benedictio pro eis propria. Hæc porro benedictio numquam dari potest extra Missam,[25] si tum Missa pro Sponsis, tum ejus Commemoratio, ideoque benedictio locum habere nequeat, si Sponsi non sint præsentes, vel si uterque aut alteruter alias benedic-

---

23. Sublato tempore clauso pro contrahendo matrimonio, necessario quoque mutari oportebat et Rubrica pro Missa votiva Sponsorum. Tempus clausum habetur a promulgatione Codicis juris canonici tantum pro benedictione nuptiali; et hanc quoque Ordinarius loci ex justa causa etiam tempore clauso permittere potest. Tempus clausum pro benedictione nuptiali juxta Cod. juris can. c. 1106, § 2 est a Dominica I Adventus usque ad Festum Nativitatis Domini inclusive, et a Feria IV Cinerum usque ad Dominicam Resurrectionis inclusive.

24. Mutatio essentialis! Secundum jus hucusque vigens Oratio ex Missa votiva pro Sponsis Orationi Officii diei semper sub distincta conclusione addenda erat, in posterum addi debet sub unica conclusione cum prima.

25. Benedictio nuptialis cum numquam dari possit extra Missam, Missa vero juxta Cod. jur. can. c. 1102 § 2 prohibita sit pro matrimoniis mixtis, sequitur, quod benedictio nuptialis in matrimoniis mixtis locum habere nequeat. Ex altera parte optat Ecclesia, ut Sponsi benedictionem nuptialem accipiant, ideoque etiam, ut matrimonium, quoad ejus fieri potest, intra Missam contrahatur. Hæc benedictio juxta can. 1101 § 1 Sponsis dari potest, etiam postquam diu vixerint in matrimonio.

tionem acceperit; servata nihilominus, sicubi vigeat, consuetudine benedictionis, ut supra impertiendæ, si hanc vir tantum obtinuerit. Quod si nuptiæ tempore clauso contractæ fuerint, non concessa a loci Ordinario venia benedictionis nuptiarum, Missa cum propria benedictione differtur ad diem in qua, extra tempus clausum, Missa pro Sponsis vel ejus Commemoratio permittitur.

3 Singulis diebus, extra Dominicas 1 classis, Vigilias Nativitatis Domini et Pentecostes, Ferias privilegiatas, Duplicia 2 classis, et Commemorationem Omnium Fidelium Defunctorum,[26] permittitur pro re gravi et publica simul causa Missa votiva sollemnis, quæ scilicet de mandato vel consensu Ordinarii, pro qualibet vice obtinendo, in cantu celebratur cum concursu populi.[27] Hæc tamen Missa cani nequit die in qua fiat

26. Notatu dignum Decretum S. R. C. d. d. 26 Febr. 1919 quoad Orationem XL Horarum. Quando nempe dies expositionis vel repositionis aut medius incidit in diem Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, non licebit amplius celebrare Missam sollemnem de Ssmo Sacramento vel de Pace, de qua sermo est in Instructione Clementina et in Decreto generali S. R. C. 3864; ideoque juxta idem Decretum S. R. C. diei 26 Febr. 1919 in ecclesiis, ubi die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum fit Oratio XL Horarum cum Ssmo Sacramento sollemniter exposito, hujusmodi expositio sequatur, repositio vero cum processione præcedat Missam cantatam de die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum.

27. Probe nota momenta essentialia, quæ ad talem Missam requiruntur: a) res gravis et publica simul causa; b) mandatum vel saltem consensus Ordinarii, pro qualibet vice obtinendus; c) concursus populi; d) sollemnitas extrinseca.

Officium aut Commemoratio, vel occurrat Vigilia aut dies infra Octavam, quamvis simplicem,[28] de identico[29] Domini Mysterio, vel de eadem Sancti Persona, de qua esset canenda Missa; tunc enim, loco Missæ votivæ, canitur Missa Officio vel Commemorationi, Vigiliæ aut Octavæ conveniens, cum Commemorationibus quæ in ipsa Missa votiva faciendæ essent, ut infra, tit. V, n. 3, habetur.[30] Aliis vero diebus in quibus hujusmodi Missa ut supra, vel ut infra, num. 11,[31] impediatur, sed ejus Commemoratio, juxta eumdem tit. V, num. 3, non vetetur,[32] in

---

28. Ergo quamvis essentia Octavæ simplicis in eo consistat, ut infra Octavam nihil fiat de ea, tamen habet influxum quemdam in Missas votivas, sicuti idem fit et in aliis casibus, ex. gr. quoad Hymnum angelicum, qui dicitur in Missis de quolibet Festo, quæ infra Octavam ipsius simplicem dicuntur. Cfr. infra tit. VII, num. 1 et Rubricam specialem in Festo S. Laurentii et in Nativitate B. M. V.

29. Juxta Decr. S. R. C. 3924 ad 4 habetur identitas Mysterii etiam in Festis Passionis, Crucis, Ssmi Sacramenti, Ssmi Redemptoris, sacratissimi Cordis Jesu et pretiosissimi Sanguinis.

30. Officia, de quibus Commemoratio fieri debet juxta tit. V, num. 3 in ipsa Missa votiva, sunt hæc: Duplex 2 classis, Dominica quævis, licet anticipata, vel, etiam quoad Officium, reposita, Feria major, Rogationes (etiam Feria III et IV Rogationum, etsi de eis nil fiat in Officio), aliqua ex Vigiliis aut Octavis privilegiatis.

31. Missa votiva sollemnis juxta num. 11 hujus tituli prohibetur in ecclesiis ubi cujuslibet Missæ conventualis onus urgeat, cui per alios Sacerdotes satisfieri nequeat; et in ecclesiis unam tantum Missam habentibus etiam die 2 Februarii, si fiat benedictio Candelarum, et in Litaniis majoribus et minoribus, si fiat Processio.

32. Commemoratio impeditæ Missæ votivæ in Missa diei currentis prohibetur juxta tit. V, num. 3 in Comme-

Missa cantata diei currentis, etsi conventuali, sub unica conclusione additur Oratio de Missa votiva impedita, et fiunt tantummodo Commemorationes, quæ huic Missæ conveniant.[33]

4 In anniversariis electionis et coronationis Summi Pontificis, in omnibus Missis, juxta normas numero proxime sequenti statuendas, additur Oratio pro Papa. Missa vero votiva, quæ pro iisdem anniversariis in Missali assignatur,[34] modo privato celebrari nequit.

5 In anniversariis autem electionis, vel, si Episcopus ex alia Sede translatus fuerit, translationis, et consecrationis Episcopi, in ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis Diœcesis, præter Missam de die vel aliam, ut supra, accedente quidem Episcopi mandato, in Choro canitur etiam Missa de ipso anni-

---

moratione Omnium Fidelium Defunctorum, et quoties occurrat Duplex I classis Domini primarium universalis Ecclesiæ, præterquam Feriæ II et III Paschatis vel Pentecostes, in quibus permittitur (ergo in Nativitate Domini, Epiphania, Dominica Resurrectionis, Ascensione, Dominica Pentecostes, in Festo Ssmæ Trinitatis, in Festo Ssmi Corporis Christi); insuper si Officium vel Commemoratio sit de identico Domini Mysterio vel de eadem Sancti Persona.

33. Normæ modo expositæ valent etiam, ut patet pro Missa votiva, quæ pro re gravi et publica simul causa celebratur in honorem sacratissimi Cordis Jesu. A qua probe distinguenda est Missa in honorem ejusdem sacratissimi Cordis, quæ prima quaque Feria VI cujusque mensis celebrari potest, juxta Decretum generale S. R. C. 3712; de qua vide infra, pag. 158.

34. Hæc Missa generatim Romæ tantum in ecclesiis celebrari solet, quæ onus chorale adjunctum habent.

versario; dummodo non occurrat Officium Missas votivas pro re gravi impediens, quo in casu de anniversario fit tantum Commemoratio, ut supra, num. 3, dictum est. Hæc Missa modo privato celebrari nequit. At in omnibus ecclesiis, etiam Regularium, dummodo saltem Commemoratio Missæ votivæ, juxta tit. V, num. 3, non prohibeatur, ad omnes Missas cantatas et conventuales, si Missa de ipso anniversario non canatur, et ad omnes Missas privatas, præter quam Defunctorum, ultimo loco post Orationes a Rubricis præscriptas additur Oratio pro Episcopo.

6 Quod si hujusmodi anniversaria Summi Pontificis pro tota Ecclesia, vel Episcopi pro tota diœcesi respective, in perpetuum a Duplici 1 classis, aut a Vigilia Nativitatis Domini, aut a Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum impediantur, fixe reponuntur in proximiori sequenti die, in Kalendario universali vel diœcesano respective libera a Festo duplici 1 classis. Et similiter in proximiori sequenti die libera fixe reponitur anniversarium Episcopi, si eadem die occurrat cum alterutro anniversario Summi Pontificis.

7 In ipsa die Dedicationis ecclesiæ, etsi ejus Officium ab Officio nobiliori impeditum fuerit, celebratur Missa de Dedicatione, ad modum votivæ sollemnis pro re gravi, ut num. 3 disponitur; et in ea, sub unica conclusione cum prima Oratione, additur

Commemoratio Mysterii vel Sancti, in cujus honorem Ecclesia dedicatur.[35] Hæc tamen Missa prohibetur in Duplicibus 1 classis Domini primariis universalis Ecclesiæ, et in Dominica Palmarum; quibus diebus Commemoratio tantum Dedicationis et Titularis additur in Missa diei, ut supra, num. 3.

8 Similiter in ipsa die consecrationis altaris dicitur Missa de Dedicatione, et fit Commemoratio Mysterii vel Sancti, in cujus honorem altare dedicatur; sed, si occurrat Officium Missas votivas pro re gravi excludens, dicitur Missa diei, cum Commemoratione Dedicationis ac Titularis,[35] ut supra, num. 3 et 7.

9 In benedictione primarii lapidis et in benedictione sollemni alicujus ecclesiæ, dicitur Missa de Mysterio vel Sancto, in cujus honorem ecclesia fundatur vel benedicitur; dummodo pariter non occurrat dies Missas votivas pro re gravi excludens, quo in casu in Missa diei additur Commemoratio Titularis, ut supra, num. 3.

10 Singulis diebus liberis ab Officio duplici, a Dominica quavis, licet anticipata, vel, etiam quoad Officium, reposita, et ab aliqua ex Feriis, Vigiliis aut Octavis pri-

35. Hæc additio Commemorationis Mysterii vel Sancti, in cujus honorem ecclesia dedicatur, sub unica conclusione cum prima Oratione (Missæ nemne de Dedicatione) antea non erat facienda et his demum Rubricis noviter præscribitur. Idem valet de Commemoratione Mysterii vel Sancti, in cujus honorem altare consecratur, de qua in sequenti num. 8 est sermo.

vilegiatis, permittuntur Missæ votivæ in cantu, quamvis non sint pro re gravi et publica simul causa.

11 Attamen Missæ omnes superius indicatæ, exceptis Missis num. 7-9 comprehensis, sicut et Missæ inferius, tit. IV, num. 1-5, recensendæ, quamvis eas ritus diei currentis alioquin permitteret, prohibentur in ecclesiis ubi cujuslibet Missæ conventualis[36] onus urgeat, cui per alios Sacerdotes satisfieri nequeat; et, in ecclesiis unam tantum Missam habentibus, prohibentur etiam die 2 Februarii, si fiat benedictio Candelarum,[37] et in Litaniis majoribus et minoribus, si fiat Processio.

---

36. Nota bene, quod dicatur „cujuslibet Missæ conventualis onus" quin addatur parochialis, sicuti factum est infra tit. III, num. 12, et in Decreto S. R. C. d. d. 28 Oct. 1913 (cfr. Acta Ap. Sedis 1913 pag. 459), ubi prohibetur sollemnitas externa Festi in Dominicam translata, „quoties urgeat obligatio Missæ cujuslibet conventualis vel parochialis". In superiori Rubrica de certa et deliberata intentione S. Rituum Congregationis „parochialis" omissum est, ex quo sequitur fuisse intentionem S. R. C., Missæ parochialis onus hisce in casibus non amplius imponere. Poterit ergo in posterum sollemnitas externa alicujus Festi duplicis 1 vel 2 classis in Dominicam sequentem translata ab ipso parocho celebrari, quin opus sit, ut parochus, præsertim si unicus loci Sacerdos sit, Missam dicat Officio diei conformem et ad peragendam sollemnitatem externam alium Sacerdotem — non raro magnis cum expensis — advocet; breviter: sublato onere Missæ parochialis dicendæ conformiter Officio diei potest ita procedi, ac si Festum ipsum in Dominicam incidisset. Hoc valet etiam quoad Commemorationes, ut infra tit. V, num. 3 explicabitur.

37. Ubi vero, ut ex. gr. in Bavaria, benedictio Candelarum fiat in Dominica diem 2 Februarii sequenti vel

III. De Missis Defunctorum

In Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum tres Missæ pro Defunctis permissæ sunt.[38]

2 Prima die cujusque mensis, extra Adventum, Quadragesimam et Tempus Paschale, in qua Officium fiat de Feria, in Choro, loco[39] Missæ de Officio diei, dicitur Missa conventualis de Requie pro defunctis Sacerdotibus, Benefactoribus et aliis; et in omnibus Missis privatis, quæ non sint Defunctorum, etiam in iis ecclesiis aut oratoriis in quibus non adsit obligatio Chori, pænultimo[40] loco inter omnes Orationes, com-

---

immediate præcedenti, in ecclesiis unam tantum Missam habentibus, hac Dominica prohibentur Missæ votivæ supra recensitæ.

38. Per Constitutionem Apostolicam *Incruentum Altaris sacrificium* d. d. 10 Augusti 1915. — Permittuntur, non præscribuntur. Hæc permissio favet juxta Decretum S. R. C. d. d. 26 Januarii 1920 etiam Sacerdotibus cæcutientibus, qui ob debilitatem visus aliamve justam causam ex Indulto Sedis Apostolicæ hac die ter Missam Defunctorum quotidianam dicere valent.

39. Attende bene: „loco Missæ de Officio diei". Hucusque duæ Missæ conventuales dicendæ erant: una de Officio diei, resp. de impedita Missa præcedentis Dominicæ primo resumenda, altera de Requie. In posterum una tantum dicitur Missa de Requie. — Alia insuper innovatio in hoc consistit, quod hæc Missa dicatur tantum, quando fit Officium de Feria minori; non amplius vero, quando occurrat Festum simplex vel Officium de S. Maria in Sabbato vel Feria Quatuor Temporum Septembris aut aliqua Vigilia, vel primo resumenda sit Missa præcedentis Dominicæ impedita.

40. Ratio est secundum Innocentium III: „quia finis ad suum debet detorqueri principium; non igitur dignitatis

prehensis iis quæ ad Celebrantis libitum sint dicendæ,[41] additur Oratio *Fidelium,* non omissa ob eam ulla ex Orationibus pro diversitate Temporum assignatis.[42] Hæc tamen

---

ergo, sed ut a vivis, de quibus in prima Collecta, ad vivos, de quibus in ultima, fiat regressus."

41. Multum olim inter Rubricistas quæstio agitata fuit, quomodo intelligendum sit illud tit. VII, num. 6 Rubr. gen. Missalis: „*Si facienda sit Commemoratio pro Defunctis, semper ponitur pænultimo loco.*" Quidam, uti ex. gr. Quarti, de Heerdt, Guyetus, Cavalieri, affirmabant, illud *pænultimo loco* intelligendum esse in sensu absoluto, i. e. inter omnes Orationes hac die recitatas, comprehensis quoque iis, quæ ad Celebrantis libitum dicantur. Alii contendebant, esse intelligendum in sensu relativo, ita ut, si ex. gr. Missa de Feria dicatur occurrente Duplici, Oratio pro Defunctis, cum Rubrica præscribat duas tantum Orationes, ponenda sit inter has duas, etiamsi postea dicenda sit Collecta ab Ordinario imperata vel etiam plures. Huic sententiæ favebant *Ephemerides liturgicæ,* et S. R. C. accessit Decreto d. d. 12 Junii 1912 ad IV: *Hæc eadem Oratio pro Defunctis semper recitari debet pænultimo loco inter Orationes ea die a Rubricis præscriptas vel permissas, non computatis Collectis ab Ordinario imperatis.* Nunc vero S. R. C. suam sententiam mutavit et sententiam a Quarti, de Heerdt etc. defensam suam fecit, quod est convenientissimum et jucundissimum, quia novus numerandi modus nunc præscriptus rem reddit multo faciliorem et simpliciorem.

42. Magni momenti sunt verba hæc addita: „*non omissa ob eam ulla ex Orationibus pro diversitate Temporum assignatis.*" Nam hæc Oratio *Fidelium,* quamvis a Rubricis præscribatur, nequit tamen substitui alicui Orationi pro diversitate Temporum assignatæ. Quoad dignitatem venit post Orationes pro diversitate Temporum assignatas; quoad locum vero, in quo sit ponenda, potest præcedere, minime vero substitui. Ex. gr. die 3 Octobris, in quo fiat Officium de Feria, occurrat dicenda Oratio *Fidelium:* 1. Oratio de Feria (ex Missa Dominicæ præcedentis), 2. Oratio *A cunctis,* 3. Oratio *Fidelium,* 4. Oratio ad libitum (a Rubricis præscripta tamquam 3ª Oratio pro diversitate Temporum assignata. Oratio ad libitum

Missa omittitur mense Novembri, in quo Omnium Fidelium Defunctorum Commemorationem universa celebrat Ecclesia. Quod si prima die libera mensis, ut supra, occurrat Feria Quatuor Temporum, aut aliqua Vigilia, aut primo resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis impedita, eadem Missa conventualis pro Defunctis et Oratio *Fidelium* dicantur in proximiori sequenti die similiter non impedita.

3 Præterea Feria II cujusque Hebdomadæ, extra Quadragesimam et Tempus Paschale,[43] in qua Officium fiat de Feria, dummodo aliqua Vigilia non occurrat, aut primo resumenda non sit Missa Dominicæ præcedentis impedita, in Choro, loco Missæ conventualis de die, dici potest Missa pro Defunctis. Si vero Missa conventualis celebretur de Feria currenti vel votiva de Ssma Trinitate, pænultimo loco, ut supra, num. 2, additur Oratio *Fidelium* pro Defunctis. Quæ item Oratio, etiam in iis ecclesiis aut oratoriis in quibus non adsit

dicenda, a Rubricis pro diversitate Temporum assignata, ergo minime omitti nec ei Oratio *Fidelium* substitui potest, ita ut ordo esset sequens: 1. Oratio de Feria, 2. Oratio *Fidelium*, 3. Oratio *A cunctis*. At vero si imperata sit Collecta, hæc Orationi ad libitum substitui et in casu proposito quarto loco dici potest. — Quoad locum Orationis *Fidelium* nota: In Missis, quæ non sint de Requie, dicitur semper *pænultimo* loco (in sensu absoluto); in Missis quotidianis Defunctorum (cfr. infra tit. III, num. 10) semper ultimo loco.

43. Notatu dignum, quod Tempus Adventus non sit exceptum, uti in numero præcedenti.

obligatio Chori, additur insuper in omnibus Missis privatis, quæ non sint Defunctorum.

4 In ecclesia in qua agitur exsequiale funus alicujus Defuncti, etiam absente rationabilem ob causam vel jam sepulto cadavere, permittitur unica[44] Missa cantata, vel etiam, pro pauperibus, lecta pro die obitus.[45] Hæc vero prohibetur in Duplicibus 1 classis primariis universalis Ecclesiæ, exceptis Feriis II et III post Pascha et Pentecosten in quibus permittitur, in Festis Dedicationis ac Tituli ecclesiæ ipsius in qua funus agi deberet, necnon Patroni principalis loci, et, pro religiosis Institutis, in Festis Tituli aut[46] Sancti Fundatoris Ordinis

44. Nota bene: unica Missa cantata; est ergo omnino contra Rubricas mos plurimis in regionibus vigens, eadem die in eadem ecclesia, in qua agitur exsequiale funus alicujus Defuncti, diebus quibus Missæ quotidianæ Defunctorum in cantu prohibentur, plures dicere Missas cantatas.

45. Innovatio maximi momenti, consistens in eo, quod omnis temporis coarctatio pro Missa exsequiali nunc sublata sit. Secundum Rubricas hucusque vigentes Missa exsequialis permittebatur tantum ab obitu usque ad secundum diem post depositionem inclusive. Tale tempus constitutum erat etiam in Rubricis pro Missis Defunctorum præfixis fasciculo separatim edito priori anno 1919, cui titulus „Missæ Defunctorum". Sublata nunc omnis temporis limitatione in posterum non amplius opus erit confugere ad epikiam, sicuti tempore belli elapsi sæpissime factum est.

46. Consideratione dignum illud „aut"; cum non dicatur „et", videtur in religiosis Institutis, quæ Festum celebrant tam Tituli quam Sancti Fundatoris Ordinis seu Congregationis, S. R. C. non utrumque Festum constituere vo-

seu Congregationis; dummodo hæc Festa non fuerint eo anno quoad sollemnitatem translata, quo in casu prohibetur in Dominicis in quibus agitur sollemnitas externa Festorum hujusmodi. Quoties autem a Rubricis, ut supra, hæc Missa impediatur, transferri potest in proximiorem sequentem diem, similiter non impeditam.[47] Quod si in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum agatur funus alicujus Defuncti, sumatur prima Missa, et in ecclesiis et oratoriis ubi prima Missa sollemniter celebrata fuerit, aut pro Officio diei distincte sit dein celebranda, dicatur secunda, aut

luisse tamquam impedimentum Missæ exsequialis, sed aut unum aut alterum.

47. Altera innovatio maximi momenti: transferri potest Missa exsequialis impedita in proximiorem diem similiter non impeditam. Secundum jus hucusque vigens hæc Missa præfatis diebus impedita transferri potuit pro prima tantum vice in primam diem liberam a Festo duplici 1 vel 2 classis, a Dominica vel Festo de præcepto, etiam suppresso, a Vigilia Nativitatis, Epiphaniæ, et Pentecostes, a die infra Octavam vel die Octava Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi, a Feria IV Cinerum et ab aliqua Feria Majoris Hebdomadæ. Nemo non videt, novis translationis regulis rem nunc multo faciliorem reddi, insuper in posterum non amplius locum esse pro paradoxo, quod habebatur circa Majorem Hebdomadam: si quis enim diem supremum obiit Feria III vel IV Majoris Hebdomadæ, Missa exsequialis celebrari poterat demum Feria II post Dominicam in Albis, et si isto anno in hac Feria occurrebat Festum translatum Annuntiationis B. M. V. vel S. Joseph, demum Feria III post eamdem Dominicam; e contra si quis mortuus erat Feria VI Parasceves vel Sabbato Sancto, Missam exsequialem celebrare licebat Feria II post Pascha. Novis translationis regulis paradoxum istud removetur.

demum tertia Missa; addita tamen in ipsa Missa exsequiali, sub unica conclusione, Oratione pro eodem Defuncto, ut pro die obitus.[48]

5 Item in ecclesia, aut oratorio publico, ubi funus Defuncti sollemniter agitur, dummodo sacrificium pro ipso Defuncto applicetur, ipsa die dici possunt Missæ privatæ de Requie pro die obitus, ut supra, nisi occurrat Officium Missas Defunctorum sequenti numero indicatas impediens. Missæ hujusmodi privatæ pariter celebrari possunt unica die ad libitum, ab obitu usque ad depositionem Defuncti, in oratoriis semipublicis, quæ, deficiente ecclesia vel oratorio publico, horum locum teneant;[49] necnon quotidie per idem tempus in oratoriis semipublicis, quæ locum non teneant ecclesiæ aut oratorii publici, et in oratoriis stricte privatis domus Defuncti, dummodo cadaver sit physice præsens in domo, ubi erecta sunt ipsa oratoria, et dies impedita non occurrat.

6 In die autem III, VII, XXX et anniversaria ab obitu vel depositione Defuncto-

48. Innovatio item essentialis. Hucusque, saltem pro Defunctis laicis, in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum dicenda erat Missa exsequialis de die obitus; abhinc dicenda erit Missa prima aut secunda aut tertia Missa hujus diei, in qua Oratio respectiva pro Defuncto, de quo agitur, sub unica Conclusione additur.

49. Primum nunc etiam in Rubricis sermo de talibus oratoriis. Cfr. Decr. S. R. C. 4192 ad I, num. 1.

rum,[50] et opportuniori[51] die post acceptum mortis nuntium, in qualibet ecclesia permittitur unica Missa pro Defuncto, cantata vel etiam lecta;[52] dummodo non occurrat Dominica, aut Festum de præcepto, licet suppressum, Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, Duplex 1 vel 2 classis, etiam translatum, aut aliqua ex Feriis, Vigiliis vel Octavis[53] privilegiatis, quo in casu, hujusmodi Missa in proximiorem diem, pariter non impeditam anticipari, si anticipari va-

50. Id est in anniversario stricte dicto, computando in die fixa mensis, quæ est dies aut obitus aut depositionis Defuncti.

51. Innovatio exoptatissima maximi momenti. Hucusque, et quidem etiam in Rubricis una cum „Missis Defunctorum“ anno elapso evulgatis circa Missas Defunctorum pro prima tantum die libera post acceptum mortis nuntium privilegium erat concessum. At vero cum tempus præfinitum erat nimis coarctatum, applicatio privilegii sæpissime, immo fere semper, si excipias religiosa Instituta, erat manca. Quapropter S. R. C., circumstantiis sedulo perpensis et re mature deliberata, in reformatione Rubricarum, ampliorem temporis terminum concessit, aut rectius loquendo ab omni temporis determinatione abstinendum esse censuit, concedendo, ut opportuniori die post acceptum mortis nuntium ista Missa celebrari possit.

52. Altera innovatio jucundissima: conceditur Missa etiam lecta in diebus supra recensitis. Hucusque unica Missa debuit esse cantata; abhinc potest esse cantata aut lecta.

53. Ulterior mutatio essentialis: abhinc Missæ supra recensitæ prohibentur, quoties occurrat Octava privilegiata. Prius prohibitæ erant tantum infra Octavas Paschatis et Pentecostes, ac in die Octava Epiphaniæ et Ssmi Corporis Christi; permissæ vero diebus infra Octavas Nativitatis, Epiphaniæ, Ascensionis et Corporis Christi, necnon in die Octava Ascensionis.

leat, aut transferri potest, dummodo in cantu celebretur.

7 Idem servatur pro unica Missa cantata[54] in anniversariis quæ extra diem obitus ex fundatione celebrantur,[55] vel quæ pro omnibus Defunctis alicujus cœtus semel quolibet anno habentur. Idem quoque servatur pro Missis quæ per octiduum, a Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum inclusive computandum,[56] pro fidelium pietate pariter in cantu[57] peraguntur; quæ tamen Missæ extra octiduum ipsum anticipari et transferri nequeunt.

8 Item, in ecclesia vel[58] oratorio publico ac principali[59] sepulcreti, immo et in quolibet sacello[60] sepulcreti rite erecto vel erigendo, Missæ quæ inibi celebrari permittuntur, possunt esse de Requie; dummodo non occurrat Dominica, aut Festum de præ-

---

54. Nota bene discrimen inter Missas num. 6 et num. 7 recensitas; pro casibus in num. 7 indicatis conceditur unica Missa cantata tantum.

55. Id est in anniversariis late dictis.

56. Ergo a die 2.—9. Novembris inclusive, vel si Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum ob Dominicam occurrentem in diem sequentem transferatur, a die 3.—10. Novembris inclusive.

57. Nota bene, quod dicatur „in cantu".

58. Dicitur: „vel". Ubi ergo in cœmeterio ecclesia et oratorium publicum habentur, privilegium favet tantum ecclesiæ, non vero oratorio publico.

59. Dicitur: „principali". Ubi ergo in cœmeterio plura habentur oratoria publica, privilegium favet non omnibus, sed tantum principali.

60. Quoad ista sacella vel ædicula vide Cod. jur. can. c. 1194.

cepto, licet suppressum, Duplex 1 vel 2 classis, etiam translatum, aut aliqua ex Feriis, Vigiliis vel Octavis privilegiatis. Hoc tamen privilegium non favet aliis ecclesiis vel capellis extra cœmeterium, subter quas, licet ad legitimam distantiam,[61] alicujus Defuncti cadaver quiescit; neque ecclesiis, oratoriis publicis et sacellis sepulcreti, in quo olim cadavera sepeliebantur, quod sepulcretum tamen qualibet ex causa derelictum est, ita ut Defuncti sepeliri in eo non amplius soleant;[62] neque ecclesiis, quæ, licet circumjacens habeant cœmeterium, tamen adjunctum chorale onus, aut curam animarum adnexam habent.

9 Missæ quotidianæ Defunctorum quæ celebrentur in cantu, permittuntur singulis diebus in quibus non fiat Officium duplex, neque occurrat Dominica, licet anticipata, vel, etiam quoad Officium, reposita, aut aliqua ex Feriis, Vigiliis vel Octavis privilegiatis. Missæ vero quotidianæ Defunctorum sine cantu, iis tantum permittuntur diebus in quibus fiat Festum semiduplex, Officium de die infra Octavam communem,

---

61. „Subtus altare nullum sit reconditum cadaver; cadavera autem, quæ prope altare sepulta sunt, distent ab eo saltem spatio unius metri; secus Missam in altari celebrare non licet, donec cadaver removeatur.“ Can. 1202 § 2. Cfr. Decr. S. R. C. 3944 ad II.

62. Nota, quod dicatur: „soleant“. Ergo, etiamsi per exceptionem in cœmeterio derelicto una alterave sepultura fiat, ecclesiæ, oratoria publica et sacella istius sepulcreti tamen non amplius privilegio fruuntur.

de Feria VI post Octavam Ascensionis, de Feria majori Adventus, de sancta Maria in Sabbato, de Festo simplici et de Feria minori per annum; dummodo Octavæ privilegiatæ, Feriæ Quatuor Temporum, Feria II Rogationum, Feriæ Antiphonarum majorum a die 17 ad 23 Decembris inclusive,[63] aliqua Vigilia, aut dies Octava simplex[64] non occurrant, nec primo resumenda sit Missa alicujus Dominicæ impedita.[65] In Quadragesima, Missæ quotidianæ Defunctorum sine cantu permittuntur prima tantum die cujusque hebdomadæ libera, in qua nempe fiat de Festo semiduplici aut de Feria non privilegiata,[66] juxta Kalendarium ecclesiæ in qua Missa celebratur.

10 In omnibus Missis quæ num. 4-7 recensentur, et in Missis quæ respondent Officio Defunctorum celebrato sub ritu duplici, una tantum dicitur Oratio; in reliquis tres dicuntur. Si Missa applicetur pro Defunctis in genere, dicuntur Orationes quæ in Missa quotidiana Defunctorum prostant; si vero applicetur pro Defunctis certo de-

63. Innovatio essentialis: hucusque in his Feriis Antiphonarum majorum extra Quatuor Tempora Missæ quotidianæ Defunctorum sine cantu permissæ erant.

64. Altera innovatio essentialis: etiam in die Octava simplici hucusque istæ Missæ non erant prohibitæ.

65. In Feriis Quatuor Temporum, Feria II Rogationum et quando primo resumenda sit Missa alicujus Dominicæ impedita, Missæ quotidianæ Defunctorum sine cantu prohibitæ sunt demum ex Bulla *Divino afflatu*.

66. Supple: extra Quatuor Tempora vel Vigilias occurrentibus.

signatis, prima dicitur pro iisdem Defunctis (deficiente vel ignorata designatione, Oratio *Deus, veniæ largitor*[67]), secunda ad libitum, tertia *Fidelium* pro omnibus Defunctis. In omnibus tamen quotidianis Missis lectis addere licet ad libitum Sacerdotis alias Orationes, juxta Rubr. gen. Missalis, tit. V, num. 4, ac tit. IX, num. 12, dummodo ultimo loco ponatur semper Oratio *Fidelium.*

11 Item in omnibus Missis cum unica Oratione, et in Missis quotidianis in cantu et conventualibus, addenda est Sequentia pro Defunctis;[68] in aliis Missis quotidianis lectis dici vel omitti potest ad libitum Celebrantis.

12 Quælibet tamen Missa Defunctorum, etiam in die aut pro die obitus, in ecclesiis ubi habeatur expositio Ssmi Sacramenti, prohibetur toto expositionis tempore, præter quam Missæ de Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum. Prohibetur insuper quoties urgeat obligatio Missæ cujuslibet conventualis vel parochialis,[69] cui per alios Sacerdotes satisfieri nequeat; item in ecclesiis unam tantum Missam habentibus

---

67. Præscriptum novum.

68. Juxta Decr. S. R. C. d. d. 2 Maji 1900 in Missis cantatis Sequentia *Dies iræ* debet a Choro integra cantari.

69. Vide, quæ dicta sint in Nota 36. In tit. II, num. 11 de certa et deliberata intentione omissum est: „vel parochialis", hic non. Unde sequitur, quod Missa exsequialis — de qua sola agitur — in Dominica tunc tantum locum habere potest, si Missa parochialis non omittatur.

prohibetur die 2 Februarii, Feria IV Cinerum, Dominica Palmarum et in Vigilia Pentecostes, si respective fiat benedictio Candelarum,[70] Cinerum, Palmarum, aut Fontis baptismalis, et in Litaniis majoribus et minoribus, si fiat Processio.

IV. De occurrentia et de translatione Festorum[71]

Si Festum Patroni principalis, aut Tituli vel Dedicationis propriæ ecclesiæ,[72] aut etiam Tituli vel Sancti Fundatoris Ordinis seu Congregationis, per accidens impediatur, de eo in sua die permittitur una Missa in cantu, vel Commemoratio in Missa cantata diei currentis, quamvis conventuali, juxta ea quæ de Missis votivis sollemnibus tit. II, num. 3, habentur.[73]

70. Ubi Benedictio Candelarum non semper die 2 Februarii, sed aliis diebus locum habet, uti ex. gr. in Bavaria, in ecclesiis unam tantum Missam habentibus Missa quælibet Defunctorum prohibetur die, qua fiat benedictio Candelarum.

71. Hoc quarto titulo supplentur quoad Missale tituli II, IV, V et VI novarum Rubricarum Breviarii.

72. Quoad discrimen, quod obtinet inter Patronum loci et Titulum (Patronum) ecclesiæ, vide infra pag. 133. Dicitur Patroni principalis, non addito loci; agitur ergo de Festo Patroni principalis non solum loci, sed et religiosi Instituti, Confraternitatis, piæ Unionis etc.

73. Ergo valde rari sunt dies, in quibus privilegium adhiberi potest, nempe Feria IV, Feria V, Feria VI et Sabbatum infra Octavam Paschatis et Pentecostes, insuper in die Octava Epiphaniæ et Ssmi Corporis Christi. Et etiam præfatis diebus Missa ista una cantata prohibetur, si agatur de identico Domini mysterio.

2 Idem etiam servatur in ecclesiis, ubi cum magno populi concursu,[74] cujus rei judex est Ordinarius,[75] celebretur Festum quod transferri aut commemorari vel accidentaliter omitti debeat, aut de Mysterio, Sancto vel Beato, cujus mentio illa die fiat in Martyrologio, vel in ejus appendice pro respectivis ecclesiis approbata. Hujusmodi tamen Missa dicenda est cum Commemorationibus, quæ respondeant ritui duplici 1 vel 2 classis, si sub hoc ritu Festum in proprio Kalendario fuerit inscriptum;[76] secus cum omnibus Commemorationibus ritui duplici majori et minori congruentibus, juxta Rubricas.

3 In Dominicis minoribus per annum, in ecclesiis et oratoriis publicis aut semipublicis, ubi reponatur sollemnitas externa Festi Patroni principalis, aut Tituli vel Dedicationis propriæ ecclesiæ, aut etiam

74. Magnus est populi concursus juxta Decr. S. R. C. 2769 ad VIII, num. 4, si est extraordinarius.

75. Scilicet Ordinarius *loci*, penes quem erit judicium et de concursu in ecclesiis religionum clericalium exemptarum. Judicium de concursu committitur Ordinario, ut non ob rationes leves præsumatur concursus adesse magnus, qui revera talis non est.

76. Si hoc Festum habeat ritum duplicis 1 classis, Commemoratio facienda est de Duplici 2 classis, de Dominica, de Feria majori non privilegiata, de Rogationibus, de Vigilia Epiphaniæ, de Octava privilegiata. — Quodsi habuerit ritum Duplicis 2 classis, Commemoratio fit de quolibet Officio currenti, exceptis tamen die infra Octavam communem, die Octava simplici, Festo simplici. — Si habuerit ritum inferiorem, facienda est Commemoratio de quolibet Officio occurrenti.

Tituli vel Sancti Fundatoris Ordinis seu Congregationis, quod infra præcedentem hebdomadam occurrerit, cani potest Missa de sollemnitate translata,[77] et de ea pariter legi potest unica Missa, nisi occurrat Duplex 1 classis. Quod si sollemnitas externa transferenda sit in Dominicam majorem, aut in Dominicam, ut supra, impeditam,[78] Missæ de sollemnitate externa prohibentur; sed in Missa cantata diei currentis, etsi conventuali, et in altera lecta, fit Commemoratio de sollemnitate externa, juxta normas pro Missis votivis sollemnibus traditas tit. II, num. 3.[79]

4 De Festis duplicibus majoribus vel minoribus aut semiduplicibus, quæ perpetuo vel accidentaliter impediantur, dici possunt Missæ etiam privatæ ad libitum Sacerdotis; dummodo Officium impediens non fuerit Duplex 1 vel 2 classis, Dominica quævis, licet anticipata, vel, etiam quoad Officium, reposita, Octava privilegiata 1 et 2 ordinis, dies Octava privilegiata 3 ordi-

77. Non amplius obstante onere Missæ parochialis.

78. Scl. a Duplici 1 classis.

79. Quamvis hic in Rubricis non sit sermo de sollemnitate externa Festorum, quæ olim alicui Dominicæ minori per annum affixa erant, tamen non est censendum revocatum privilegium per Decr. S. R. C. d. d. 28 Oct. 1913 (vide Acta Ap. Sedis 1913, pag. 459), juxta quod de sollemnitate Festi duplicis 1 classis et de Festo sacratissimi Rosarii B. M. V. permittuntur Missæ omnes, de sollemnitate vero Festi Duplicis 2 classis permittitur unica tantum Missa cantata vel etiam lecta — etiam in his casibus non amplius obstante onere Missæ parochialis.

nis, vel aliqua ex Feriis aut Vigiliis privilegiatis.[80]

5 Singulis diebus, in quibus non occurrat Officium duplex, Dominica quævis, etiam anticipata, vel, licet quoad solam Missam, primo reposita, Octava privilegiata, Feria Quadragesimæ a die Cinerum, Passionis, Quatuor Temporum et II Rogationum, aut quælibet Vigilia, dici possunt, ritu festivo, Missæ etiam privatæ de quovis Officio ad Laudes commemorato, aut de Mysterio, Sancto vel Beato, cujus mentio illa die fiat in Martyrologio, vel in ejus appendice pro respectivis ecclesiis approbata; salvis amplioribus privilegiis, quæ in præsenti tit. IV, num. 1-4, ac tit. II, num. 10, sunt indicata.[81]

6 Omnes et singuli Sacerdotes, tam sæculares, quam regulares, Missas, etsi Regularium proprias, omnino celebrent juxta Kalendarium ecclesiæ, vel oratorii publici, in quo celebrant;[82] exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum et ecclesiarum pro-

80. Hoc privilegium primo concessum est per Decretum S. R. C. diei 28 Octobris modo commemoratum.

81. Hoc privilegium omnino novum est. Istæ Missæ privatæ dici possunt ritu festivo ideoque cum *Gloria in excelsis*.

82. „Omnino“ ergo sub omni respectu, etiam quoad ritum Festi, quoad electionem et numerum Orationum, Collectæ, *Credo*, Præfationem; debet ergo Sacerdos celebrans in ecclesia aliena ita se conformare Kalendario ecclesiæ alienæ, ac si ipse isti ecclesiæ adscriptus esset, exclusis tamen, ut statim dicitur, peculiaribus Ordinum et ecclesiarum ritibus propriis.

priis. Idem servetur in oratorio semipublico, sive in capella principali[83] Seminariorum, Collegiorum, piarum Communitatum, Hospitalium, Carcerum et similium. Si vero, juxta Kalendarium ecclesiæ aut oratoriorum præfatorum, Missæ votivæ vel aliæ permittantur, easdem celebrare valeant, servatis tamen Rubricis et Decretis.

V. De Commemorationibus

In Missa diei fiunt omnes Commemorationes quæ præscribuntur ad Laudes, juxta Kalendarium ecclesiæ, aut oratorii publici vel semipublici (ut supra, tit. IV, num. 6), in quo Missa celebratur; excluso tamen Suffragio de omnibus Sanctis, nisi Oratio *A cunctis,* pro diversitate Temporum assignata, dicenda sit, et exclusa pariter Commemoratione de Cruce infra Tempus Paschale.[84] Excipiuntur etiam Vigiliæ commu-

---

83. „Principali"; quodsi in Seminariis, Collegiis etc. aliæ adhuc exstant capellæ vel oratoria, censentur tamquam privatæ, in quibus Celebrans suum sequi debet Kalendarium.

84. Suffragium de omnibus Sanctis et Commemoratio de Cruce in Officio recitata nullum influxum habent in Missam. Quodsi interdum in Missa dicenda sit Oratio *A cunctis*, quæ dicta est etiam in Officio, hoc non ideo fit, quia dicta est in Officio, sed quia ista Oratio est Oratio pro diversitate Temporum assignata. Oratio *A cunctis* nempe sæpe dicitur in Officio, quando non dicitur in Missa; e contra interdum dicitur in Missa, quamvis dicta non sit in Officio; ex. gr. in Missa conventuali de Feria Quadragesimæ dicenda est 2 loco Oratio *A cunctis*, quamvis in occurrentia cum Festo Duplici dicta non sit in Officio.

nes in Feriis Adventus, extra Quatuor Tempora, occurrentes; de quibus, quamvis non sit factum Officium neque Commemoratio, dicitur Missa, cum Commemoratione Feriæ. Item excipiuntur Vigiliæ communes in Feriis Quadragesimæ et Quatuor Temporum (vel in Dominica quoad Officium in Sabbato anticipata, aut in Vigilia digniori) occurrentes, et Dominicæ, quoad Missam, juxta tit. I, num. 6, repositæ; de quibus ad Missam fit Commemoratio, quamvis facta non sit in Officio. Item excipiuntur dies Litaniarum, tam majorum quam minorum; de quibus fit Commemoratio ad Missam, quamvis, extra Feriam II Rogationum, nihil factum sit ad Laudes. E contra in Vigilia Pentecostes, et in Dominica Palmarum, nihil fit de quolibet Officio ad Laudes commemorato. Excipiuntur etiam dies Octava communis, et Festum aliquod duplex aut semiduplex, in Duplicibus 1 classis ad Laudes commemorata, sicut et dies Octava simplex vel Festum simplex, in Duplicibus 2 classis pariter commemorata; de quibus Commemoratio fit tantum in Missis privatis, non vero in Missis cantatis vel conventualibus.

2 Idem[85] servatur pro Missis votivis privatis, et pro Missis quæ celebrentur juxta tit. IV, num. 4-5; omissa tamen ea Com-

85. Id est, ut fiant omnes Commemorationes, quæ præscribuntur ad Laudes.

memoratione, de qua dicitur Missa, et cauto ut, post Orationem Missæ propriam, de eo prima dicatur Oratio de quo celebratum fuerit Officium, nisi huic Orationi præmittenda sit Commemoratio a Missa inseparabilis, ut S. Pauli Ap. in Missa S. Petri Ap., et vicissim.[86]

3 In Missis autem votivis sollemnibus pro re gravi et publica simul causa aliisque Missis tit. II, num. 3-9, ac tit. IV, num. 1, recensitis, in Missis de Duplici I classis impedito quod cum magno populi concursu, juxta eumdem tit. IV, num. 2, celebretur, et in Missis de sollemnitate externa Duplicis item 1 classis in Dominicam, juxta ipsum tit. IV, num. 3, translata, fit tantum Commemoratio de Duplici 2 classis, et, in ipsa die Dedicationis Ecclesiæ, etiam de Duplici 1 classis occurrenti, de Dominica quavis, de Feria majori, de Rogationibus, et de aliqua ex Vigiliis aut Octavis privilegiatis; de aliis vero Officiis nihil fit.[87] In Missa autem de Duplici 2

86. Idem principium adaptandum videtur in illis casibus, ubi ex Indulto speciali in Missis quibusdam de B. Maria Virgine ante omnes alias Commemorationes addenda est Commemoratio de S. Joseph, ejus Sponso.

87. Innovatio essentialis. Missa votiva pro re gravi et publica simul causa hucusque gaudebat privilegio unicæ Orationis, quod paucissimas tantum exceptiones admittebat, tunc nempe, si juxta Rubricas Oratio pro gratiarum actione vel de Ssmo Sacramento sub unica conclusione addenda erat. Hoc privilegium erat tantum, ut in ecclesia, ubi hæc unica Missa tantum celebrabatur, etiam Commemoratio Dominicæ, Feriæ majoris, immo et Duplicis 2 classis

classis impedito, quod cum magno populi concursu, juxta tit. IV, num. 2, celebretur, et in Missis de sollemnitate externa Duplicis item 2 classis in Dominicam translata, fiunt omnes Commemorationes ea die occurrentes, præter quam de die infra Octavam communem, et, extra Missas privatas, de Festo vel die Octava simplici.[88] Quoties tamen aliqua ex Missis hujusmodi juxta superiores Rubricas impediatur, in Missa diei currentis, quamvis cantata vel conventuali, fieri potest Commemoratio Missæ secus dicendæ, sub unica conclusione cum prima Oratione; nisi occurrat Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, aut, pro Missis tit. II, num. 7-9 non comprehensis,[89] Duplex 1 classis Domini primarium universalis Ecclesiæ, præter quam Feriæ II et III Paschatis vel Pentecostes, in quibus id permittitur; aut nisi Officium vel Commemoratio sit de identico Domini Mysterio, vel de eadem Sancti Persona.

---

fuerit omittenda. Novis vero Rubricis huic privilegio in multis derogatur. — E contra pro Missis de sollemnitate externa in Dominicam translata numerus Commemorationum Officiorum forte occurrentium minuitur.

88. In Missa ergo lecta de sollemnitate externa Duplicis 2 classis etiam Festi simplicis et diei Octavæ simplicis facienda est Commemoratio.

89. Missæ supra tit. II, num. 7—9 recensitæ in hac exceptione non comprehenduntur, quia permittuntur etiam in Duplici 1 classis Domini primario universalis Ecclesiæ, saltem ita, ut eorum Commemoratio Orationi diei currentis sub unica conclusione addi valeat.

4 Attamen, si plures habeantur Missæ cantatæ aut conventuales, vel etiam aliæ habeantur Missæ in cantu præter conventualem,[90] in qualibet ex eis, ad tramitem Rubr. gen. Missalis, tit. VII, num. 2, nulla fit Commemoratio de aliis, neque dicuntur Præfatio aut aliæ partes[91] quæ vel propriæ sint alterius Missæ, vel propriæ item alicujus Commemorationis in altera Missa factæ vel faciendæ. Commemorationes nempe, quæ aliqua die occurrant, si plures Missæ in cantu vel conventualiter dicantur, fiunt in Missa cujus indolem seu rationem participant. Itaque, si una tantum, vel nulla ex his Missis sit de currenti die, in Missa diei currentis, aut secus in prima ex Missis ea die in cantu vel conventualiter celebratis, omnes fiant Commemorationes occurrentes; et in aliis Missis dicantur Orationes quæ Missis votivis conveniant. Si vero plures ita celebrentur Missæ ea die occurrentes, juxta Rubricas, Commemoratio de Vigilia fiat in Missa Feriæ, et de Octava in Missa Festi, et vicissim. Orationes autem pro diversitate Temporum assignatæ, si juxta Missæ et Commemorationis in ea faciendæ ritum admittantur, sicut et

90. In præcedenti numero 3 supponitur, quod unica tantum celebretur Missa cantata aut conventualis; in hoc numero 4 statuuntur normæ maximi momenti pro casu, quod plures sint Missæ aut cantatæ aut conventuales, aut præter conventualem aliæ habeantur in cantu.

91. Puta *Credo*, *Communicantes*, *Hanc igitur*.

Collectæ ab Ordinario imperatæ, in qualibet Missa dicuntur; ita tamen, ut Orationes quæ infra Octavam vel in Vigilia aliter quam pro Tempore occurrenti fuerint præscriptæ,[92] dicantur in Missis tantum de Octava aut de Vigilia, vel cum earum Commemoratione celebratis, in ceteris vero Missis dicantur Orationes Tempori assignatæ.

5 Idem servatur quoad Præfationem de Octava communi, ac de Feria VI post Octavam Ascensionis, etiam non commemoratis in Officio, necnon quoad Præfationem de Nativitate Domini a die 2 ad 4 Januarii inclusive, ac Præfationem de Tempore Paschali in Feriis communibus ejusdem Temporis; quæ pariter in una tantum ex Missis cantatis vel conventualibus adhibentur, nempe in Missa propria, si dicatur, secus in Missa de Officio diei, et, ea deficiente, in prima ex Missis ea die, ut supra, in cantu vel conventualiter celebratis.

VI. De Orationibus

In Missis de Officio semiduplici aut simplici, extra Tempus Passionis atque Octavas Paschatis et Pentecostes, post Orationem diei, duæ dicuntur Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut infra. Altera tamen ex eis omittitur, si qua Commemoratio fiat; et utraque, si duæ jam Commemorationes occurrerint. Idem ser-

92. Cfr. infra tit. VI, num. 1, 1) — 8).

vatur in Missis votivis, quæ in die ritus semiduplicis aut simplicis, pro re non gravi vel pro privata causa, juxta tit. II, num. 1 et 10, celebrentur; in quibus, addita semper secundo loco Commemoratione Officii diei, nisi huic præponenda sit Commemoratio a Missa inseparabilis, ut supra, tit. V, num. 2,[93] dicitur tertio loco prima ex Orationibus pro diversitate Temporum assignatis, quoties alia Commemoratio non occurrerit. A Dominica autem Passionis usque ad Sabbatum in Albis inclusive, et per Octavam Pentecostes, unica additur Oratio pro diversitate Temporum assignata:[94] quæ pariter omittitur, si qua fiat Commemoratio. Orationi tamen ad libitum pro diversitate Temporum assignatæ substitui potest Collecta, si qua exstet, ab Ordinario imperata.[95] Si autem Oratio ad libitum præferatur, in Missis cantatis et conventualibus eligitur ad libitum Præfecti Capituli vel Superioris Communitatis;[96] in Missis privatis vero, et,

---

93. Cfr. notam 86.

94. Innovatio magni momenti, quoad Festa semiduplicia Tempore Passionis celebrata. Hucusque in Missa de Feria erant duæ tantum Orationes, in Missa vero de Festo semiduplici tres, juxta tit. IX, num. 5 Rubricarum gen. Missalis. In posterum duæ tantum, de qualicumque Officio Missa dicatur; ita magna inconvenientia aufertur.

95. Innovatio, qua mitigatio jucundissima et valde conveniens conceditur. Nota tamen, quod dicatur *substitui potest*; substitutio ergo est licita, non vero præscripta.

96. Cfr. Decr. S. R. C. 4157 ad 9. — Ad libitum Præfecti Capituli vel Superioris Communitatis pertinere etiam videtur, utrum Collecta substituatur necne.

ubi Capitulum et Communitas desit, etiam in cantatis, ad libitum Celebrantis. Orationes tamen hujusmodi omittuntur in Dominica Palmarum et in Vigilia Pentecostes; in quavis insuper Dominica, si fiat Commemoratio alicujus Octavæ; et in omnibus Missis in quibus pariter agatur Commemoratio Duplicis, aut Missæ votivæ pro re gravi et publica simul causa celebratæ, aut alicujus ex Missis tit. II, num. 4-9, ac tit. IV, num. 1-3 recensitis.

Hujusmodi autem Orationes, pro diversitate Temporum assignatæ, sunt sequentes:[97]

1) Per Adventum, exceptis Missis de beata Maria Virgine, et iis in quibus de ea-

97. Regulæ de Orationibus hujusmodi nunc multo clarius exponuntur quam antea in Rubricis gen. Missalis tit. IX, num. 1—9; una etiam innovatio essentialis recensenda est: in Missis nempe votivis de Apostolis, juxta tit. IX, num. 15, Rubricarum gen. Missalis, quando ponitur Oratio *A cunctis*, ejus loco dicenda erat Oratio de sancta Maria *Concede nos famulos*. In posterum vero etiam in Missis votivis de Apostolis dicenda est Oratio *A cunctis* (quando hæc tamquam Oratio pro Temporis diversitate assignata occurrat); et si Missa fuerit de Ss. Apostolis Petro et Paulo, eorum nomina in Oratione *A cunctis* omittuntur; si vero fuerit de omnibus Apostolis, nihil mutatur. Probabilissime prioribus sæculis non erat dicenda loco Orationis *A cunctis* Oratio de sancta Maria *Concede nos famulos*, sed Oratio ad poscenda suffragia Sanctorum *Concede, quæsumus* (prima ex Orationibus diversis). Cursu temporis factum esse videtur, ut ratio propria mutationis non plane intellecta fuerit etiam a Rubricistis, et ita substituta esse videtur sensim Oratio de sancta Maria *Concede nos;* immo hæc per errorem inducta Oratio de sancta Maria confirmationem postea nacta est per Decretum S. R. C. 3612 ad 1.

dem fit Commemoratio, et excepta pariter Missa votiva de Omnibus Sanctis, 2ª Oratio de sancta Maria, *Deus, qui de beatæ,* 3ª contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa.

2) A Nativitate Domini usque ad diem 2 Februarii inclusive, exceptis Missis de beata Maria Virgine, et iis in quibus de eadem fit Commemoratio, et excepta pariter Missa votiva de Omnibus Sanctis, 2ª Oratio de sancta Maria, *Deus, qui salutis,* 3ª contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa.

3) A die 3 Februarii usque ad Feriam III post Dominicam Quinquagesimæ, et a Dominica I post Pentecosten usque ad Sabbatum ante Dominicam I Adventus inclusive, exceptis tamen omnibus Octavis et Vigiliis, si de eis fiat saltem Commemoratio; item exceptis Missis de beata Maria Virgine, et iis in quibus de eadem fit Commemoratio, et excepta pariter Missa votiva de Omnibus Sanctis, 2ª Oratio ad poscenda suffragia Sanctorum, *A cunctis,* 3ª ad libitum.[98]

4) Per omnes Octavas, tam privilegiatas quam communes, et in diebus Octavis Simplicibus, quæ infra Tempus num. 3) descriptum incidant, et in Vigiliis,[99] quæ infra

98. Probe nota, quod non sit libero arbitrio commissum, utrum tertia Oratio dicenda sit necne; tertia Oratio dicenda est, sed quæ Oratio dicatur, libero arbitrio Celebrantis relinquitur.

99. Per Octavas ergo et in diebus Octavis simplicibus et in Vigiliis, quæ incidant in Adventum et in Tem-

idem Tempus vel in Quadragesima usque ad Sabbatum post Dominicam IV inclusive occurrant, si de Octava vel Vigilia fiat saltem Commemoratio, et dummodo Octava ipsa vel Vigilia non sit de beata Maria Virgine aut de Omnibus Sanctis, 2ª Oratio de sancta Maria, *Concede,* 3ª contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa.

5) A Feria IV Cinerum usque ad Sabbatum post Dominicam IV Quadragesimæ inclusive, exceptis Missis de beata Maria Virgine, et iis in quibus de eadem fit Commemoratio, et exceptis pariter Vigiliis ac Missa votiva de Omnibus Sanctis, ut num. 4) dictum est, 2ª Oratio ad poscenda suffragia Sanctorum, *A cunctis,* 3ª pro vivis et defunctis, *Omnipotens.*

6) A Dominica Passionis usque ad Sabbatum in Albis inclusive, et per Octavam Pentecostes, 2ª tantum Oratio contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa.

7) A Dominica in Albis usque ad Feriam VI post Octavam Ascensionis inclusive, exceptis Missis de beata Maria Virgine, et iis in quibus de eadem fit Commemoratio, et excepta pariter Missa votiva de Omnibus Sanctis, 2ª Oratio de sancta Maria, *Concede,* 3ª contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa.

---

pus a Nativitate Domini usque ad diem 2 Februarii inclusive, quæque non sint de B. Maria Virg., dicendæ sunt Orationes num. 1) resp. 2) assignatæ.

8) In omnibus Missis de beata Maria Virgine (ad quam refertur etiam Missa de Festo Circumcisionis Domini ejusque Octava, sicubi hæc celebrari debeat[100]), necnon in Vigilia et per Octavam atque in Missa votiva Omnium Sanctorum, extra Tempus num. 6) descriptum, 2ª Oratio de Spiritu Sancto, 3ª contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa. Quod si de beata Maria Virgine, vel de Omnibus Sanctis, in horum Vigilia et per Octavam, fiat tantum Commemoratio, 3ª Oratio dicitur de Spiritu Sancto, si tertia Oratio de Tempore addenda sit.

2 In consecratione Episcopi et in collatione Ordinum, in Missa de die dicitur, sub unica conclusione cum prima, Oratio propria quæ assignatur in Missali.

3 In anniversario propriæ ordinationis sacerdotalis, a die fixa mensis computando, si Vigilia Nativitatis vel Pentecostes, Dominica Palmarum aut Duplex 1 classis non occurrerit, secus autem in proximiori sequenti die, quæ a Duplici item 1 classis sit libera, cuivis Sacerdoti licet, extra Missas Defunctorum, et post Orationes a Rubricis præscriptas, addere Orationem pro

---

100. Festum Circumcisionis per se Festum Christi Domini est; ratio, cur censeatur Festum etiam B. Mariæ Virginis, videtur esse mere externa, quia Oratio pro Tempore assignata de sancta Maria eadem est ac Oratio de Festo Circumcisionis. Ne ergo bis eadem Oratio *Deus, qui salutis* dicenda sit, substituenda est infra Octavam Circumcisionis Oratio de Spiritu Sancto.

seipso Sacerdote, ut inter Orationes diversas.[101]

4 Orationes seu Collectæ ab Ordinario[102] imperatæ numquam plures sint quam duæ;[103] eæque ponuntur, et numquam sub unica conclusione cum Oratione Missæ,[104] ultimo loco post Orationes a Rubricis præscriptas, vel loco Orationis ad libitum pro diversitate Temporum assignatæ, quoties nempe tertia Oratio ad libitum sit eligen-

101. Innovatio convenientissima ideoque jucundissima! Nota vero, quod anniversarium computandum sit a die fixa mensis, non hebdomadæ. Quod si quis ergo in Dominica Passionis anni 1920 fuerit ordinatus Sacerdos, anniversaria dies est 21 Martii, non vero Dominicæ Passionis sequentium annorum. — Nota porro, quod Orationem addere liceat, nulla facta ad id obligatione. — Nota denique, quod hæc Oratio addenda sit post Orationes a Rubricis præscriptas, sed ante Collectas et Orationes stricte votivas. — Oratio est inter Orationes diversas vigesima.

102. Scilicet *loci*, i. e. a Papa vel Episcopo. Superiores enim majores Ordinum seu Congregationum juxta Decretum S. R. C. 2514 ad 6 non possunt ordinare Collectam dicendam a subditis suis sine licentia Episcopi. Id sine Episcopi licentia tunc tantum fieri potest, quando 3. a Rubricis præscripta Oratio sit ad libitum; tunc enim pro Missis lectis possunt designare certam aliquam Orationem; item quando juxta Rubricas licet addere Orationes stricte votivas.

103. Ne quid nimis in præscribendis Collectis fiat, numerus Collectarum per novas Rubricas certus determinatur. Possunt vero Collectæ diversimode præscribi, nempe ordinario modo aut pro re gravi; et si duæ præscribuntur, ambæ aut ordinario modo aut pro re gravi imperari possunt, aut una pro re gravi, altera ordinario modo; immo quæ pro re gravi imperantur, præscribi possunt dicendæ etiam in Duplicibus I classis.

104. Ne in Duplicibus quidem I classis.

da.[105] Omitti tamen debent, propter respectivam Missam vel Commemorationem,[106] in omnibus Duplicibus 1 et 2 classis, in Dominicis majoribus, nisi loco Orationis ad libitum prima ex iis eligatur,[107] in Feriis, Vigiliis et Octavis privilegiatis, in Missis votivis pro re gravi et publica simul causa vel ad instar sollemnium, ut supra,[108] celebratis, et quoties in Missa, juxta Rubricas, jam quatuor dictæ sint Orationes;[109] quinimmo Collectæ pro Defunctis[110] (quæ, secus atque aliæ Collectæ, in Missis etiam de Requie tres admittentibus Orationes, quovis anni Tempore, locum habent[111]) omitti

---

105. Cfr. supra tit. VI, num. 1, pag. 46.

106. Ergo etiam, si de sequentibus Officiis fiat tantummodo Commemoratio, Collecta quævis omittenda est.

107. Quodsi Orationi ad libitum dicendæ Collecta substituatur, hæc, quamvis non sit a Rubricis præscripta, ponitur ante alias Orationes forte adhuc dicendas, quæ sint a Rubricis præscriptæ vel saltem permissæ, ex. gr. de Ssmo Sacramento, vel de anniversario Summi Pontificis aut Episcopi. Si duæ sint imperatæ, altera post Orationes modo indicatas ponenda est.

108. Tit. II, num. 4—9 et tit. IV, num. 1—3. Ergo in sollemnitate externa Festi in Dominicam translata Collecta ordinario modo imperata omittitur.

109. Quodsi vero duæ Collectæ sint imperatæ et cum prima ex eis quaternarius numerus inducatur, non ideo altera Collecta omitti debet, sed ea etiam dicenda est, quamvis quatuor Orationes jam sint dictæ. (S. R. C. 22 Martii 1912.)

110. De his agebatur in Decr. S. R. C. 1332 jam anno 1665, juxta quod non admittebantur nisi in Missis Festorum simplicium et in ferialibus. Nunc vero quæstio ex professo primum in Rubricis tractatur, additis quoque quibusdam variationibus.

111. Nota discrimen: In Missis, quæ non sint de Requie, permittuntur Collectæ etiam pro Defunctis; in Missis

insuper debent Tempore Paschali,[112] et in omnibus Missis quæ de Officio duplici vel semiduplici aut cum alterutrius Commemoratione[113] celebrentur. Et, si jussa fuerit Oratio contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa, in diebus in quibus alterutra a Rubricis præscribitur, unica Oratione utrumque adimpletur præceptum.[114] Si tamen, jubente Ordinario, hujusmodi Collectæ, fuerint dicendæ pro re gravi, omittuntur tantum in Vigiliis Nativitatis et Pentecostes, in Dominica Palmarum, et in omnibus Duplicibus 1 classis. Quod si expresse eæ ordinentur dicendæ etiam in Duplicibus 1 classis, tunc omittuntur tantum in Nativitate Domini, Epiphania Domini, Feria V in Cœna Domini, Sabbato sancto, Dominica Resurrectionis, Ascensione Domini, Pentecoste, Festo Ssmæ Trinitatis et Festo Ssmi Corporis Christi.

de Requie tres admittentibus Orationes non permittuntur Collectæ pro vivis, sed tantum pro Defunctis.

112. Ratio est, quia Tempus Paschale præsefert notam et characterem gaudii et exsultationis.

113. Quodsi ergo in Feria majori non privilegiata, propriam Missam habenti, vel in Vigilia communi vel in Missa votiva pro Sponsis facienda sit Commemoratio Duplicis vel Semiduplicis, aut in Missa votiva pro re non gravi Commemoratio Semiduplicis, Collecta pro Defunctis addi nequit.

114. Innovatio opportunissima. Ubi ergo Oratio pro Papa est imperata tamquam Collecta, in Missa de Feria Tempore Passionis non sicut hucusque, pro 2ª Oratione amplius eligi debet Oratio contra persecutores Ecclesiæ, quia Oratio pro Papa est Collecta, sed una Oratione pro Papa tamquam secunda Oratione utrumque adimpletur præceptum, Rubricæ nempe et Ordinarii.

5 Ordo autem in dicendis hujusmodi Collectis, præter Collectam pro Defunctis, pænultimo semper loco inter Orationes etiam ad Celebrantis libitum permissas collocandam,[115] est sequens: Prius ponitur Collecta dicenda pro re gravi, si habeatur.[116] Si vero ambæ Collectæ sint jussæ pro re gravi aut non gravi, prius ponitur, juxta ordinem Litaniarum, Collecta de aliquo Mysterio vel Sancto, quæ præcepta fuerit; postea, quæ desumenda sit ex Missis votivis diversis vel ex Orationibus quæ in fine Missalis habentur, servato, si ambæ sint hujusmodi, eodem ordine quo in Missali prostant.

6 In omnibus Missis lectis,[117] Missa qui-

115. Quodsi ergo duæ Collectæ sint imperatæ, ex. gr. una pro pace, dicenda etiam in Duplicibus I classis, altera pro Defunctis, quibusdam diebus accidere potest, ut Collecta pro Defunctis, quia pænultimo semper loco est collocanda, dicenda sit ante Collectam pro pace, quamvis sit hæc pro re gravi præscripta et quidem dicenda etiam in Duplicibus I classis. Ex. gr. die 19 Januarii: 1. Oratio de Festo Ss. Mm. Marii, Marthæ, Audifacis et Abachum, 2. Oratio de S. Canuto Rege, Mart., 3. Oratio pro diversitate Temporum assignata, 4. Oratio Collecta pro Defunctis, 5. Oratio Collecta pro pace. Ita procedendum est, si Celebrans nullas ad libitum addere velit Orationes stricte votivas. At si hoc intendat, ordo erit sequens: 1.—3. Oratio ut supra; 4. Oratio Collecta pro pace; 5. Oratio ad libitum; 6. Oratio Collecta pro Defunctis; 7. Oratio ad libitum.

116. Quodsi duæ Collectæ pro re gravi imperantur, una pro re gravi dicenda etiam in Duplicibus I classis, altera pro re gravi simpliciter, ad mentem Rubricæ esse videtur, quod prior habeat præcedentiam, non obstantibus regulis mox sequentibus.

117. Dicitur lectis, excluduntur ergo Missæ cantatæ.

dem conventuali excepta, quæ in die ritus simplicis, extra Ferias majores privilegiatas, vel de occurrenti Officio celebrentur, vel ex votivis pro re non gravi nec publica simul causa eligantur, plures, ut in Rubr. gen. Missalis, tit. IX, num. 12, dici possunt ad Celebrantis libitum Orationes,[118] et in iis, extra Tempus Paschale,[119] etiam Oratio pro Defunctis apponi; cauto tamen semper ut Orationes hujusmodi: 1) Post Orationes a Rubricis præscriptas et Collectas ab Ordinario imperatas locum habeant; et cum eis septenarium[120] numerum non excedant, atque imparem[121] præterea numerum retineant vel inducant. 2) Inter se illum ordinem servent qui supra, num. 5, pro duabus Collectis, cum ambæ sint pro re gravi aut non gravi, est præfinitus; et Oratio pro Defunctis pænultimum semper locum inter alias occupet.[122]

---

118. Scl. Orationes stricte votivæ.

119. Oratio pro Defunctis apponi potest tantum *extra Tempus Paschale;* Tempore Paschali non permittitur ob characterem gaudii et jubilationis de Christi Resurrectione huic tempori inhærentem.

120. Septenarius numerus conceditur ratione septem petitionum Orationis Dominicæ; plus quam septem Orationes non permittuntur ad insinuandum, quod in septem istis petitionibus omnia continentur, quæ ad bonum animæ et corporis consequendum necessaria et exoranda sunt.

121. Ratio est secundum Benedictum XIV, quia Ecclesia „unitatem et conjunctionem vehementer desiderat, quæ per imparem numerum exprimitur, qui, cum in æquas partes secari non possit, integritatem suam tuetur."

122. Oratio vero stricte votiva pro Defunctis addi nequit, quoties præscripta sit Collecta pro Defunctis

VII. De Hymno Angelico, de Sequentia et de Symbolo

In Missis Dominicæ anticipatæ, vel, etiam quoad Officium, repositæ, semper dicitur *Gloria in excelsis;* non vero in Missis de Dominica infra hebdomadam resumendis, nisi sit infra Octavas in universali Ecclesia privilegiatas[123] aut Tempus Paschale, vel nisi agatur de Missa Dominicæ infra Octavam Nativitatis post diem 1 Januarii resumenda.[124] Item *Gloria in excelsis* dicitur in Missis de quolibet Festo quæ infra ipsius Octavam simplicem[125] dicuntur; et in aliis Missis quæ ritu festivo, juxta tit. II, num.

(Oratio late votiva). Ratio est, quia utraque pænultimo loco est collocanda. Cum vero unus tantum locus possit esse pænultimus, sequitur, quod hoc in casu Oratio ad libitum (stricte votiva) Orationi ab Ordinario imperatæ (late votivæ) locum cedere debeat. Nemo non videt, Rubricam de his Orationibus ad libitum proponi multo majori cum claritate ac perspicuitate, quam brevissima Rubrica in tit. IX, num. 12 Rubr. gen. Missalis posita. Attamen, quamvis sit in Rubrica non expresse enuntiatum, addendum est, quod Oratio pro Defunctis (stricte votiva; non vero Collecta pro Defunctis) in Missis extra Tempus Paschale lectis de Officiis supra recensitis adjungi valeat etiam tunc, quando in eis fiat Commemoratio Duplicis aut Semiduplicis — hac vero condicione, quod Missa pro Defuncto applicetur. (Cfr. Decr. S. R. C. d. d. 12 Junii 1912 ad I.)

123. Cfr. supra tit. I, num. 6.

124. Hæc Missa resumenda est, quoties die 29, 30 et 31 Decembris occurrat Festum Duplex 1 vel 2 classis.

125. Infra Octavam Festi simplicem quamvis nihil fiat de ea, attamen Missæ de respectivo Sancto non celebrantur more votivo, sed festivo ideoque cum *Gloria in excelsis* et consequenter cum *Ite, Missa est.* Vide Rubricam specialem post Festum S. Laurentii Mart. et post Festum Nativitatis B. M. V.

3-9, ac tit. IV, num. 1-5, celebrantur, dummodo colorem violaceum non requirant.

2 Sequentia, quæ aliquibus assignatur Festis, addenda est etiam in Missis in cantu et conventualibus, quæ de Octava eorumdem Festorum dicantur; in Missis autem privatis lectis de die infra Octavam,[126] non autem de die Octava,[127] dici vel omitti potest ad libitum Celebrantis. Excipiuntur tamen Octavæ Paschatis et Pentecostes, in quibus Sequentia semper dicitur.

3 In Missis festivis ritus duplicis vel Semiduplicis *Credo* dicitur quoties conveniat aut Missæ[128] quæ celebratur, aut alicui ex Commemorationibus occurrentibus. Itaque dicitur in Dominicis, licet anticipatis,[129] vel, etiam quoad Officium, repositis, et in Vigilia Epiphaniæ,[130] etsi tantum commemo-

---

126. Dicitur *de die infra Octavam;* ergo non de Dominica infra Octavam; in Missa ergo de Dominica infra Octavam Ssmi Corporis Christi Sequentia non dicitur, ne in cantatis quidem et conventualibus.

127. In die Octava dicenda est Sequentia; habet enim ritum duplicem; cum enim in Missis Defunctorum privilegiatis, quæ habent ritum duplicem et unam tantum Orationem, etiam in Missis privatis lectis dicenda sit Sequentia, conveniens fuit, ut privilegium omittendæ Sequentiæ in his Festorum Octavis non extenderetur ad diem Octavam.

128. Quando *Credo* Missæ conveniat, vide in Rubricis gen. Missalis tit. XI et infra pag. 287.

129. Quæstio nunc auctoritative soluta. Vide etiam Rubricam specialem in Dominica II post Epiphaniam ante Introitum positam, item ante Introitum Dominicæ XXIII post Pentecosten.

130. Quia gaudet omnibus juribus et privilegiis Dominicæ concessis.

ratis;[131] in omnibus Missis votivis quæ pro re gravi et publica simul causa sollemniter celebrantur, et in aliis Missis quæ tit. II, num. 4-9, ac tit. IV, num. 1-3, recensentur; atque in Festis etiam secundariis Doctorum Ecclesiæ, principalium Patronorum loci, Titularium ecclesiæ, ac Tituli et Sancti Fundatoris Ordinis seu Congregationis, si hæc Festa sub ritu saltem duplici celebrentur.[132] Numquam autem dicitur in Missis Dominicæ infra hebdomadam resumendis, nisi agatur de Missis Dominicæ infra Octavas in universali Ecclesia privilegiatas occurrentis, quæ intra respectivæ Octavæ ambitum sint resumendæ;[133] neque additur in aliis Missis ritus simplicis, etiamsi *Credo* alicui ex Commemorationibus occurrentibus conveniret.[134]

VIII. De Præfatione

In qualibet Missa dicitur semper ejus Præfatio propria, si habeatur; secus propria Missæ sive Officii primo loco inter ce-

---

131. Ergo si Dominica in Sabbato anticipanda vel Vigilia Epiphaniæ commemorari debeat in Missa Officii nobilioris, cui per se *Credo* non convenit, tamen in hac Missa *Credo* dicendum est ratione Dominicæ anticipatæ aut Vigiliæ commemoratæ.

132. Cfr. Decr. S. R. C. 4192 ad IV, in quo remittitur etiam ad Decr. 2484 et 3249 ad I.

133. Cfr. supra tit. I, num. 6.

134. Ergo si ex. gr. in Festo S. Francisci Salesii celebretur Missa votiva pro Sponsis, in ea fit Commemoratio sancti Doctoris, quin tamen *Credo* dicatur.

tera, quæ Præfationem propriam habeant, commemorati; aut, ea deficiente, salvisque semper normis ut supra, tit. V, num. 4-5, de Præfatione in Missis cantatis et conventualibus adhibenda,[135] Præfatio de Octava communi, vel de Tempore; aut demum Præfatio communis. Pro Dominicis infra Octavas Nativitatis, Epiphaniæ et Ascensionis censetur propria Præfatio Octavæ; item pro Dominica infra Octavam Corporis Christi, nisi Commemoratio Octavæ omittenda sit;[136] in ceteris Dominicis Præfatio de Tempore, si habeatur; secus, etiam in Dominicis anticipatis, et, si Commemoratio Octavæ Corporis Christi sit omittenda, in Dominica II post Pentecosten, Præfatio de Trinitate. Pro Missa denique Rogationum, etiam in Litaniis majoribus infra Octavam Paschatis, et pro Missa Vigiliæ Ascensionis,[137] censetur propria Præfatio de Tempore Paschali *in hoc potissimum.*

2 Excipiuntur ab hac regula Præfatio de Nativitate Domini, quæ infra Octavam ejusdem Nativitatis dicitur in omnibus Missis,

135. Modificatio maximi momenti!

136. Ordinarie Commemoratio Octavæ erit facienda, præsertim iis in locis, ubi sollemnitas Ssmi Corporis peragitur Feria V præcedenti. Ubi vero in hac Dominica celebrari solet sollemnitas externa Festi Ssmi Corporis Christi, et duæ dicantur in cantu Missæ, una de sollemnitate externa, alia de Dominica, in Missa Dominicæ non fit Commemoratio Octavæ, ideoque nec ejus Præfatio dicitur, sed de Ssma Trinitate.

137. Unica Vigilia, quæ participat in Præfatione Festi sequentis, est Vigilia Pentecostes.

etiam in iis quæ secus Præfationem propriam haberent,[138] dummodo in his de ipsa Octava fiat Commemoratio; Præfatio Missæ sive Officii commemorati vel Octavæ, quæ non sint de aliquo Mysterio Domini,[139] et Præfatio de Tempore Quadragesimæ, quæ numquam adhibentur in Missis de Dedicatione Ecclesiæ, vel de alio Festo Domini alicubi celebrato, quod propria Præfatione careat;[140] et Præfatio de beata Maria Virgine, quæ numquam adhibetur in Missis de Tempore Adventus.[141]

IX. De Evangelio in fine Missæ

In qualibet Missa in qua facta fuerit Commemoratio de Dominica, licet anticipata, vel, etiam quoad Officium, reposita, de Feria Quadragesimæ a die Cinerum inclusive,

138. Ex. gr. Festum S. Joannis Ap. et Ev. requireret per se Præfationem propriam de Apostolis; attamen si in eo fiat Commemoratio Octavæ Nativitatis, erit Præfatio de Nativitate dicenda.

139. Non sunt de aliquo Mysterio Domini: Præfatio de Tempore Quadragesimæ, Præfatio de B. M. V. et de S. Joseph (quamvis in eis Mysterium Incarnationis D. N. J. C. commemoretur), Præfatio de Apostolis et Præfatio communis.

140. In his ergo casibus dicenda est Præfatio communis.

141. Quia Tempus Adventus est Tempus præparationis in futuram Domini nativitatem, in Præfatione vero de B. Maria Virgine est sermo de facta Christi nativitate *(lumen æternum mundo effudit)*; quare etiam in Officio de Tempore Adventus, etiamsi fiat Commemoratio de B. Maria Virgine, nullus ejus habetur respectus in *V.* ad Primam nec in conclusione Hymnorum.

Temporis Passionis, Quatuor Temporum, et II Rogationum, de Vigilia qualibet, de die Octava Epiphaniæ,[142] aut de die infra Octavam privilegiatam 1 ordinis,[143] semper legitur Evangelium Dominicæ, Feriæ, Vigiliæ, aut Octavæ in fine,[144] dummodo hoc (etsi tantum a principio[145]) non sit idem Evangelium quod lectum fuerit in Missa.

2 Si autem Feria et Vigilia, vel duæ Vigiliæ simul occurrant, de ea dicitur Evangelium de qua primo facta est Commemoratio.[146] In Vigilia tamen Nativitatis Domini, si ipsa in Dominicam incidat, et in Dominica quæ a die 2 ad 4 Januarii inclusive occurrat, non legitur Evangelium Dominicæ in fine; quod pariter non legitur

142. Innovatio essentialis; hæc dies Octava nempe proprium habet Evangelium ab Evangelio Festi et Octavæ diversum.

143. Innovatio item essentialis; unaquæque nempe dies infra Octavam privilegiatam 1 ordinis habet proprium Evangelium ab Evangelio Festi diversum.

144. Lectio nempe Evangelii Officii commemorati est continuatio quædam Commemorationis, quæ Commemoratio jure merito non restringitur ad solas Orationes, sed complectitur etiam alias partes Missæ commemoratæ proprias, ut sunt Evangelium, Præfatio, *Communicantes* et *Hanc igitur*.

145. Exemplum habes in occurrentia Feriæ IV Quatuor Temporum Adventus cum die Octava Conceptionis immaculatæ B. Mariæ Virginis. Quamvis ergo Evangelium diei Octavæ complectatur tantum Luc. 1, versum 26—28, Evangelium vero Feriæ Luc. 1, versum 26—38, tamen in fine Missæ de die Octava non dicitur Evangelium Feriæ, quia idem est — etsi tantum a principio — ac Evangelium principale.

146. Cfr. Decretum S. R. C. d. d. 10 Januarii 1919.

cum fit Commemoratio de Missa Dominicæ primo infra hebdomadam resumenda, ut supra tit. I, num. 6.

3 Denique, si nullum Dominicæ, Feriæ, Vigiliæ, aut alicujus ex Octavis supra, num. 1, recensitis, Evangelium in fine Missæ fuerit legendum, dicitur ultimum pariter Evangelium Missæ sive Officii primo loco inter cetera, quæ Evangelium stricte proprium (et non appropriatum, vel ex aliquo Communi assignatum, vel per Octavam e Festo repetitum) habeant, commemorati.[147]

---

147. Innovatio plane essentialis quidem, sed omnino conveniens. Rationes autem hujus innovationis sunt hæ:

1. Quodsi Evangelium diei Octavæ Epiphaniæ et dierum infra Octavas privilegiatas I ordinis stricte proprium sit in fine legendum, convenit, ut etiam alia Evangelia stricte propria non omittantur.
2. De Festo impedito et commemorato omnia debent asservari, quæ sunt asservabilia; ideoque et ejus Evangelium, quo expletius commemoretur Persona ejusque Mysterium, cujus Festum colitur.
3. Rubricæ, ante reformationem a Leone XIII peractam, de omnibus Officiis, quorum illæ simplificationem supponebant, ultimum semper Evangelium (etsi, ut in Vigiliis, non adeo stricte proprium) ordinabant, videlicet de Dominicis, de Feriis Missam propriam habentibus, de quibusvis Vigiliis. In aliis casibus non poterant nec debebant ultimum de aliis Officiis Evangelium præscribere, quia a) in Missis votivis ultimum Evangelium sancti Joannis, contra id, quod recte ordinatum dudum fuit, imperabant; b) quia Festa duplicia (ex. gr. S. Mariæ Magdalenæ, Decollationis S. Joannis Baptistæ, et alia) et Festa semiduplicia (S. Marthæ Virginis) transferenda supponebant, et non commemoranda ullo in casu; c) quia diem Octavam Ss.

X. De Colore Paramentorum et de Cantu in Missa

Missa quælibet semper retinet colorem proprium,[148] præter Missas de Comme-

Apostolorum Petri et Pauli, quæ ex dictis Octavis communibus sola Evangelium stricte proprium in Missali habeat, semper celebrandam exigebant, etsi eadem occurreret simul cum Dominica minori; d) quia de Simplicibus Evangelium stricte proprium habentibus nullum continebant casum. Mutatis autem occurrentiæ et translationis Rubricis omnino conveniens, immo necessarium videbatur, ut Rubricæ quoque de ultimo Evangelio mutarentur, ne in posterum talium Festorum Commemoratio evadat incompleta.

Hæ sunt præcipuæ rationes innovationis factæ. Casus occurrere potest v. gr. in Festo Purificationis B. M. V., in Festo Transfigurationis D. N. J. C., in Festo Ss. Innocentium Mm., si fiat hisce diebus Missa votiva sollemnis pro re gravi; porro in Decollatione S. Joannis Baptistæ, in Festo S. Magdalenæ, in Festo S. Marthæ Virginis, in die Octava Ss. Petri et Pauli Apostolorum, si fuerint ob occurrens Festum nobilius simplificanda. Alia Festa cum Evangelio stricte proprio vide infra pag. 316 ss.

Nota vero bene, quod Evangelium debet esse stricte proprium, et non appropriatum, ut ex. gr. in Festo S. Leonis I Papæ, nec ex aliquo Communi assignatum vel per Octavam e Festo toties repetitum, ut ex. gr. infra Octavam Epiphaniæ vel Corporis Christi.

Nota porro, quod hæc Evangelia stricte propria tunc tantum sint dicenda, si nullum Dominicæ, Feriæ, Vigiliæ aut alicujus ex Octavis num. 1 recensitis Evangelium in fine fuerit legendum. Evangelia ista in casu sane semper habent præcedentiam. E contra, si Festum habens Evangelium stricte proprium occurrat cum Dominica ideoque tamquam Officium minus nobile simplificetur, videtur ejus Evangelium in fine Missæ Dominicæ legendum, quamvis in Officio IX Lectio de Festo simplificato fuerit omissa.

148. Cfr. tit. XVIII Rubr. gen. Missalis. Num. 2 prædicti tituli modificationem nactus est quoad colorem Missæ Dominicæ in num. 4 tituli X Rubricarum una cum Bulla *Divino afflatu* editarum.

moratione Omnium Fidelium Defunctorum, tempore expositionis Ssmi Sacramenti celebratas, quæ dicuntur in colore violaceo; ac præter Missam de Dominica infra Octavam Corporis Christi, in qua, nisi omittenda sit Commemoratio de Octava, adhibetur color albus.[149]

2 In qualibet Missa cantus servatur qui suo ritui conveniat.[150] In Missis autem votivis pro re gravi et publica simul causa celebratis, sicuti et in Missis tit. II, num. 4-9, ac tit. IV, num. 1-4, recensitis, adhibetur cantus festivus; et in aliis votivis cantus ferialis.

149. Decreto d. d. 9 Martii 1912 S. R. C. responsum dederat, in Dominicis infra Octavas occurrentibus colorem Octavæ adhibendum esse, quando in ipsis Officium non de Psalterio sumitur, sed de Octava. Juxta hoc S. R. C. responsum in Dominica infra Octavam Ssmi Corporis Christi color albus præscriptus fuit. At in superiori Rubrica S. R. C. addit modificationem, colorem album tunc tantum adhibendum esse, quando in Missa Dominicæ fiat Commemoratio Octavæ. Ergo, si hæc Commemoratio omittenda sit, adhibendus est color viridis. Quando autem omittenda sit Commemoratio Octavæ, vide supra Notam 136. — Addere liceat casum in Rubricis non provisum, nempe in Festo Ss. Innocentium Mm., celebrato cum ritu duplici I classis, adhibetur color rubeus, non violaceus.

150. Cfr. de cantu Rubricas speciales præsertim ante Præfationes positas.

II

REGULÆ
EX RUBRICIS MISSALIS EXCERPTÆ

NOTA

Pro sequentibus regulis componendis præter Rubricas generales et speciales Missalis necnon plurima S. R. C. Decreta, quod partitiones et distinctiones attinet, inprimis secutus sum librum a Reverendissimo et Illustrissimo Domino Van der Stappen editum, cui titulus est Sacra Liturgia, tom. II[2] Tractatus de Rubricis Missalis Romani, Mechlinæ, H. Dessain 1902; qui liber ob tutam doctrinam necnon perspicuam expositionem hisce valde commendatur.

II

REGULÆ
EX RUBRICIS MISSALIS EXCERPTÆ

I De Missalis Romani partitione

Antequam Regulæ ex Rubricis Missalis, tam generalibus quam specialibus, necnon ex variis S. R. C. decretis excerptæ proponantur, ante omnia juverit præmittere conspectum generalem integri Missalis, indicando partes, quas præstantissimus hic liber liturgicus continet, præsertim cum in nova ejusdem editione typica ordo hucusque usitatus in nonnullis sit mutatus. Partes, quibus Missale Romanum constat, sunt decem:

I Introductio

Complectitur folia præliminaria, quæ continent 8 partes, nempe

1) **Bullas Summorum Pontificum,** et quidem
   a) Pii V d. d. 15 Julii 1570,
   b) Clementis VIII d. d. 7 Julii 1604,
   c) Urbani VIII d. d. 2 Septembris 1634
   d) Pii X d. d. 1 Novembris 1911.

2) **De anno et ejus partibus**

Hæc pars continet varias instructiones et tabellas, nempe

a) instructionem
   α) de anni correctione,
   β) de Quatuor Temporibus,
   γ) de Nuptiarum celebratione, juxta Codicem juris canonici,
   δ) de computo ecclesiastico, et quidem
      1. de aureo numero,
      2. de epactis et noviluniis,
      3. de littera dominicali,
      4. de indictione,
   ε) de Festis mobilibus;

b) tabulas Paschales, et quidem
   α) antiquam reformatam,
   β) novam reformatam;

c) tabellam temporariam Festorum mobilium ab anno 1916 usque ad annum 1975;

d) Kalendarium per duodecim menses dispositum.

3) **Rubricas generales Missalis**

Viginti titulis regulæ generales exponuntur circa varia genera Missarum, horam, ritum, paramenta, quibus Missæ sint dicendæ.

4) **Additiones et Variationes**

in Rubricis Missalis ad normam Bullæ *Divino afflatu* et S. R. C. subsequentium Decretorum. Hæc pars decem titulis exhibet mutationes in Rubricis generalibus Missalis faciendas ad normam ultimæ reformationis liturgicæ annis 1911 et 1913 factæ et subsequentium S. R. C. decretorum ab anno 1912 editorum.

5) **Ritus servandus in celebratione Missæ**

Tredecim titulis exponuntur cæremoniæ in Missæ celebratione servandæ.

6) **De defectibus in Missarum celebratione occurrentibus**

Decem titulis tractantur defectus, qui occurrere possunt, horum defectuum emendatio exponitur necnon casuum solutio.

7) **Preces ante et post Missam**

Hæc pars exhibet

a) Præparationem ad Missam pro opportunitate Sacerdotis faciendam,

b) Gratiarum actionem post Missam.

8) **Ordo incensationis**

a) Oblatorum,

b) Altaris.

II Ordo Missæ

Hic Ordo Missæ una cum Canone Missæ, respondens Ordinario Officii divini cum Psalterio Breviarii Romani, continet ritus et preces, quæ adhibendæ sunt ab initio Missæ usque ad finem ejus; est Ordinarium Missæ. Ob rationes mere practicas, præsertim ob commodiorem usum Canonis, positus est non in initio Missalis, sed circa medium Proprii de Tempore inter Sabbatum sanctum et Dominicam Resurrectionis.

III Proprium de Tempore

Continet Missas de omnibus Dominicis et Feriis necnon Festa duplicia I classis primaria Domini Ecclesiæ universalis cum eorum Vigiliis et Octavis privilegiatis; insuper ex rationibus mere praxin commodiorem spectantibus omnia Festa Ecclesiæ uni-

versalis occurrentia a die 26 Decembris usque ad 5 Januarii inclusive, non excepto Festo Ssmi Nominis Jesu, quod, sicut in Breviario suo tempore, nunc et in Missali e Proprio Sanctorum in Proprium de Tempore translatum est.

IV Proprium Sanctorum

Hæc quarta Missalis pars præter nonnulla Festa Christi Domini continet Missas Sanctorum sive totaliter sive partialiter proprias necnon Missas indicatas, quæ et quantum ex Communi Sanctorum sint desumendæ.

V Commune Sanctorum

Hæc pars secundum Ordinem Litaniarum exhibet Missas pro illis Sanctorum Festis, quæ propriam Missam non habent aut saltem non omnes Missæ partes proprias. Ex ratione mere technica habet novam paginationem, ita ut paginarum numeri sint uncis quadratis inclusi. Ejus partes sunt

1) **In Vigiliis Apostolorum**

Cum casus occurrere possit, quod Vigilia Apostoli commemoranda sit in Festo Confessoris Pontificis, ob identitatem Orationis *Da, quæsumus* apposita est in nova editione typica altera Oratio pro variatione.

2) **Commune unius Martyris extra Tempus Paschale**

a) Pro uno Martyre Pontifice:
α) Missa *Statuit,*
β) Missa *Sacerdotes Dei.*

b) Pro uno Martyre non Pontifice:
α) Missa *In virtute,*
β) Missa *Lætabitur.*

3) **Commune plurimorum Martyrum extra Tempus Paschale**
   a) Missa *Intret,*
   b) Missa *Sapientiam,*
   c) Missa *Salus.*

4) **Commune Martyrum Tempore Paschali**
   a) Pro uno Martyre: Missa *Protexisti,*
   b) Pro pluribus Martyribus: Missa *Sancti tui.*

5) **Commune Confessoris Pontificis**
   a) Missa *Statuit,*
   b) Missa *Sacerdotes tui.*

6) **Commune Doctorum**
   Missa *In medio.*

7) **Commune Confessoris non Pontificis**
   a) Missa *Os justi,*
   b) Missa *Justus ut palma.*

8) **Commune Abbatum**
   Missa *Os justi.*

9) **Commune Virginum**
   a) Pro Virgine et Martyre:
      α) Missa *Loquebar,*
      β) Missa *Me exspectaverunt.* Huic Missæ dicendæ etiam in Festis plurium Virginum Martyrum additæ sunt Orationes pro pluribus Virg. Mart.
   b) Pro Virgine tantum:
      α) Missa *Dilexisti,*
      β) Missa *Vultum tuum.*

10) **Commune non Virginum**
   a) Pro Martyre non Virgine: Missa *Me exspectaverunt,* cum Orationibus etiam pro pluribus Martyribus.

b) Pro nec Virgine nec Martyre: Missa *Cognovi.*

11) **Commune Dedicationis ecclesiæ**

Missa *Terribilis* cum Oratione pro ipsa die Dedicationis et casu, quod varianda sit Oratio, necnon cum Oratione pro Dedicatione Altaris.

12) **Commune Festorum B. Mariæ Virg.**

Hoc Commune cum Missa *Salve, sancta Parens,* respondens eidem Communi in Breviario, in prioribus Missalibus non exstabat, sed nova editione typica Missalis introducta est. Missa *Salve, sancta Parens* composita est partibus variarum Missarum de S. Maria in Sabbato.

13) **Missæ de sancta Maria in Sabbato**

Hæ Missæ dici etiam possunt ut votivæ de B. Maria Virgine, pro Temporum diversitate:

a) Per Adventum: Missa *Rorate,*
b) Post Nativitatem: Missa *Vultum tuum.*
c) Post Purificationem: Missa *Salve, sancta Parens,*
d) Tempore Paschali: Missa *Salve, sancta Parens,*
e) Post Pentecosten: Missa *Salve, sancta Parens.*

VI Missæ votivæ

1) **Missæ votivæ, quæ loco Missæ conventualis de Feria communi in Choro suffici possunt**

a) Feria II: Missa de Ssma Trinitate.
b) Feria III: Missa de Ss. Angelis.
c) Feria IV:
a) Missa de S. Joseph,

β) Missa de Ss. Apostolis Petro et Paulo:
1. Extra Tempus Paschale,
2. Tempore Paschali;
γ) Missa de omnibus Ss. Apostolis:
1. Extra Tempus Paschale,
2. Tempore Paschali;
δ) Missa de uno S. Apostolo, de quo in Missali non habetur propria Missa:
1. Extra Tempus Paschale,
2. Tempore Paschali;
ε) Missa de Patrono principali oppidi vel civitatis, diœcesis, provinciæ, nationis, vel etiam de Titulari ecclesiæ propriæ, et de Titulo vel Sancto Fundatore Ordinis seu Congregationis.

d) Feria V:
α) Missa de Spiritu Sancto,
β) Missa de Ssmo Eucharistiæ Sacramento.

e) Feria VI:
α) Missa de Cruce,
β) Missa de Passione.

f) Sabbato: Missa conveniens de S. Maria, ut supra V. n. 13 a—e.

2) **Missæ votivæ ad diversa** [1])

a) Pro eligendo Summo Pontifice,
b) In die Creationis et Coronationis Papæ,
c) In Consecratione Episcopi,
d) In anniversario Electionis et Consecrationis Episcopi,
e) In collatione sacrorum Ordinum,
f) Pro Sponso et Sponsa,

---

[1]) In recentissimo Missali sunt aliter dispositæ quam antea.

g) Pro Fidei propagatione,
h) Contra paganos,
i) Ad tollendum schisma,
k) Tempore belli,
l) Pro pace,
m) Pro vitanda mortalitate,
n) Ad postulandam gratiam Spiritus Sancti,
o) Pro remissione peccatorum,
p) Pro peregrinantibus et iter agentibus,
q) Pro infirmis,
r) Ad postulandam gratiam bene moriendi,
s) Pro quacumque necessitate.

VII Orationes diversæ ad libitum juxta Rubricas

Hæ Orationes diversæ, numero 35, in novo Missali non sunt immutatæ. Notandum tamen, quod 2 loco Oratio *A cunctis* dupliciter sit posita, priori modo sicuti hucusque erat dicenda, altero modo, qui respondet alteri Suffragio in Officio, pro casu quod Missa vel Commemoratio fuerit de B. Maria Virgine, si quis vellet post Commemorationes et Orationes a Rubrica præscriptas addere Orationem *A cunctis* tamquam Orationem stricte votivam.

VIII Missæ Defunctorum

1) **Missæ**
a) In Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum:
α) prima Missa,
β) secunda Missa,
γ) tertia Missa;
b) in die obitus seu depositionis Defuncti,
c) in anniversario Defunctorum,
d) in Missis quotidianis Defunctorum.

2) **Orationes diversæ pro Defunctis**

In prioribus Missalibus numerabantur 12, in nova editione typica inveniuntur 17. Sed auctio non est substantialis, quasi novæ Orationes sint compositæ, sed tantum accidentalis et, ut ita dicam, ad speciem, habetque fundamentum in eo, quod nunc plures Orationes sint pro majori Celebrantis commoditate in extenso positæ, quarum mutatio et variatio antea breviter tantum innuebatur. Sunt autem hæ:

a) Pro defuncto Summo Pontifice,
b) pro defuncto Episcopo (respectu habito etiam pluralis),
c) pro Episcopo Cardinali defuncto, vel Presbytero Cardinali, qui episcopali dignitate auctus fuerit,
d) pro Presbytero Cardinali, qui episcopali dignitate auctus non fuerit, et pro Diacono Cardinali, qui fuerit Sacerdos,
e) pro Diacono Cardinali, qui in ordine presbyteratus non fuerit constitutus,
f) pro defuncto Episcopo alia Oratio,
g) pro defuncto Sacerdote,
h) pro defuncto Sacerdote alia Oratio,
i) pro uno Defuncto,
k) pro una Defuncta,

} habita ratione etiam pluralis,

l) pro patre et matre,
m) pro patre tantum,
n) pro matre tantum,

} habita etiam ratione casus, quo Sacerdos Missam dicat præsentibus vel saltem consciis aut mandantibus fratribus et sororibus suis,

o) pro defunctis fratribus, propinquis et benefactoribus,

p) pro his, qui in cœmeterio requiescunt,
q) pro pluribus Defunctis,
r) pro pluribus Defunctis alia Oratio.

9) **Absolutio super tumulum.**

Hæc Absolutio super tumulum hucusque in Missali integro non exstabat (ut videtur, ex rationibus praxin spectantibus), sed tantum in Epitome ex Missali, cui titulus: Missæ pro Defunctis; nunc vero in editione typica Missalis recepta est, additis quidem non paucis variationibus et mutationibus.

IX Variæ Benedictionum formulæ ex Rituali Romano desumptæ

1) Ordo ad faciendam aquam benedictam:
2) Benedictiones diversæ:
   a) Benedictio Agni in Pascha,
   b) Benedictio ovorum,
   c) Benedictio panis,
   d) Benedictio novorum fructuum,
   e) Benedictio ad quodcumque comestibile:
3) Benedictiones ab Episcopis vel aliis facultatem habentibus faciendæ:
   a) Benedictio sacerdotalium instrumentorum in genere,
   b) Benedictio mapparum et tobalearum, sive linteaminum Altaris,
   c) Benedictio corporalium.
   d) Benedictio tabernaculi seu vasculi pro sacrosancta Eucharistia consecranda.

Missæ votivæ (impropriæ) per annum sunt expunctæ.

X Missæ propriæ, quæ in aliquibus locis celebrari possunt

1) Missæ in honorem D. N. J. C.,
2) Missæ in honorem B. Mariæ Virg.,

3) Missæ in honorem nonnullorum Sanctorum,
4) Commune Sanctorum pro aliquibus locis.

NB! Non omnes Missæ, quæ in priorum Missalium Appendice pro aliquibus locis exstabant, in nova editione typica sunt receptæ, sed aliquæ tantum, quæ tamen adhiberi possunt non nisi ex speciali Indulto Sanctæ Sedis Apostolicæ.

Altera Appendix, Missali ex anno 1908 addi solita, continens Cantus ad libitum et Tonos communes Missæ in nova editione typica Missalis nonjam recepta est.

II De Missarum distinctione

A Uniuscujusque Missæ partes

In unaquaque Missa duæ distinguuntur partes majores:

I Missa Catechumenorum

Hæc est quasi præparatio ad Sacrificium proprie dictum et complectitur omnes functiones, precationes et Lectiones ab ingressu Sacerdotis ad Altare usque ad Symbolum inclusive.

II Missa Fidelium

Hæc est proprie Sacrificium et complectitur tres partes, nempe
1) Oblationem,
2) Consecrationem,
3) Communionem.

B Missæ diversæ distinguuntur

I Ratione sollemnitatis

Ratione sollemnitatis extrinsecæ, quacum celebrantur, distinguuntur Missæ

1) in sollemnes, quæ celebrantur
   a) cum cantu Sacerdotis et chori,
   b) cum Ministris sacris, Diacono nempe et Subdiacono,
   c) cum incensatione Oblatorum et Altaris,
   d) cum ornatu Altaris et Ecclesiæ.
2) in privatas (lectas, planas, secretas, bassas), quæ celebrantur
   a) sine Ministris sacris,
   b) sine incensatione,
   c) sine cantu Sacerdotis.
3) in cantatas, quæ sunt medium quid inter sollemnes et privatas; cum utraque habent aliquid commune:
   a) sicut sollemnes habent cantum Sacerdotis et chori,
   b) sicut privatæ celebrantur sine Ministris sacris et etiam, nisi speciale adsit privilegium, sine incensatione Oblatorum et Altaris.

II Ratione obligationis publicæ

Ratione obligationis, vi cujus celebrari debent, distinguuntur

1) in publicas.

   Publica Missa est ea, quæ celebratur ex mandato Ecclesiæ, assistente et præsente clero adstricto et populo. Iterum distinguuntur
   a) in conventualem[1]) (capitularem),
   b) in parochialem[2]) (altam, majorem, præcipuam, generalem, communem);
2) in privatas (manuales, adventicias, fundatas, legatas, annuales).

---

[1]) Vide infra pag. 82. [2]) Vide infra pag. 106.

Ad has Missas celebrandas publica obligatio non adest, sed celebrantur

a) vel ex devotione,
b) vel ob stipendium manuale, libere datum et acceptum (obligatio privata),
c) vel ex fundatione perpetua vel temporali (obligatio privata),
d) vel ex alio motivo ex. gr. gratitudinis, misericordiæ etc.

Notandum. Vox *privata* ergo in duplici sensu adhibetur: ex una parte in oppositione ad *sollemnis*, ex altera parte in oppositione ad *publica (conventualis)*. Hinc sequitur

α) quod Missa aliqua privata (= non conventualis) potest etiam celebrari sollemniter vel saltem cum cantu;
β) e contra Missa conventualis potest esse privata eo sensu, quod non sollemniter vel cum cantu celebretur, sed extra Chorum secreto legatur: attamen est et manet publica;
γ) Parochus si Missam celebret sollemnem vel cantatam die, quo Missam pro populo applicare non tenetur, tunc hæc Missa est privata eo sensu, quod non sit publica ad eam obligatio, saltem ex parte Ecclesiæ; si vero Missam die Dominica vel Festo de præcepto, etiam suppresso, ob infirmitatem vel defectum vocis (raucitatem gutturis) secreto legat applicetque pro populo, est privata eo sensu, quod non sit sollemnis vel cantata; est vero pu-

blica eo sensu, quod non agit ut persona privata, sed publica et vi publicæ per Ecclesiam impositæ obligationis.

III Relate ad Officium recitatum

Relate ad Officium Breviarii ea die recitatum distinguuntur Missæ in

1) **Officio conformes**

Juxta tit. IV. n. 3 Rubricarum gen. Missalis Missa cum Officio conveniat, quoad ejus fieri potest. Et quamvis Ecclesia certis sub condicionibus exceptiones ab hac regula permittat, tamen normam statuit in eodem titulo: „Id vero passim non fiat, nisi rationabili de causa.“ Talis causa rationabilis potest esse aut res gravis et publica simul causa, aut votum fidelium, qui stipendium manuale offerunt explicite deprecantes Missam votivam in sensu liturgico, quando eam per Rubricas celebrare licet, aut devotio privata Celebrantis.

Hæ Missæ Officio conformes iterum distingui possunt

a) in Missas de Tempore, et quidem
   α) de Dominica,
   β) de Feria,
   γ) de Vigilia:
      1. Nativitatis,
      2. Epiphaniæ,
      3. Ascensionis,
      4. Pentecostes;

b) in Missas de Sanctis, et quidem
   α) de Festo duplici (cujusque gradus), semiduplici, simplici,
   β) de Octava,
   γ) de Vigilia communi B. M. V. et ceterorum Sanctorum.

2) **Officio non conformes**

Hæ iterum distinguuntur in

a) Missas conventuales in Choro vel extra Chorum celebratas præter Missam Officio conformem;

b) Missas votivas, et quidem

α) sollemnes pro re gravi et publica simul causa,

β) privilegiatas,

γ) pro re non gravi et ex privata tantum causa;

c) Missas Defunctorum,

d) Missas privatas (= non conventuales)

α) de Feriis majoribus non privilegiatis et de Vigiliis communibus celebratis in Officio duplici majori vel minori aut semiduplici juxta novarum Rubricarum tit. I. n. 1—3;

β) de Officio duplici majori vel minori aut semiduplici perpetuo vel accidentaliter impedito, juxta Rubricas celebratas; cfr. tit. IV. n. 4 nov. Rubr.;

γ) quibusdam diebus juxta Rubricas (tit. IV. n. 5 nov. Rubr.) ritu festivo celebratas de quolibet Officio ad Laudes commemorato vel de Mysterio, Sancto aut Beato, cujus illa die mentio fiat in Martyrologio vel in ejus Appendice pro respectivis ecclesiis approbata.

III De Missa conventuali

A Prænotanda[1])

I Missæ conventualis notio

Missa conventualis est ea, quæ celebranda est
1) in ecclesiis cathedralibus, collegiatis et regularium Choro obstrictorum,
2) quotidie,
3) cum cantu,
4) assistentibus Choralibus,
5) Hora statuta,
6) juxta ordinem et modum a Rubricis præscriptum.

Conventualis dicitur eo, quod clerus obstrictus ad eam convenire solet et debet. De singulis notionis momentis in sequentibus fusius tractabitur.

II Missarum conventualium distinctio

Missæ conventuales distinguuntur
1) ratione *conformitatis* cum Officio
   a) in conformes Officio,
   b) in non conformes Officio;
2) ratione *loci*, quo celebrantur,
   a) in celebratas in Choro,
   b) in celebratas extra Chorum;
3) ratione *sollemnitatis* externæ, quacum celebrantur,
   a) in sollemnes vel cantatas,
   b) in lectas;
4) ratione *assistentiæ*
   a) in celebratas cum assistentia Choralium,
   b) in celebratas sine assistentia Choralium;
5) ratione *Celebrantis*
   a) in celebratas a canonicis, et quidem

---

[1]) Cf. Schober De cæremoniis Missæ[2] pag. 163 ss.

α) a dignitariis,
β) a reliquis canonicis;

b) in celebratas a mansionariis (vicariis).

Missa conventualis in Choro celebrari debet semper cum cantu et cum assistentia Choralium; extra Chorum dicenda legitur sine assistentia Choralium.

Plurima Capitula, saltem ecclesiarum cathedralium, a S. Sede Apostolica speciale privilegium obtinuerunt, Missam in Choro dicendam celebrare sine cantu, saltem diebus ferialibus.

III De obligatione ad Missam conventualem

Ad Missam conventualem tenentur:

1) **Capitula ecclesiarum cathedralium et collegiatarum**

a) Quodlibet Capitulum (prædictarum ecclesiarum) tenetur quotidie ad celebrationem cum cantu Missæ conventualis, præter alias Missas vel secundum Rubricas Missalis vel ex piis fundationibus celebrandas. Cfr. Cod. jur. can. c. 413 § 2.

b) Hæc obligatio juxta communem theologorum sententiam est sub peccato mortali, ita ut ne semel quidem sine gravi peccato omitti possit absque justa et gravi causa.

c) Ecclesiæ tamen, quæ non sunt collegiatæ, ad Missam conventualem non obligantur, quamvis in eis Officium divinum recitetur.

d) Missam conventualem sine cantu celebrare licet hebdomadario, cum in ecclesia, pontificali ritu, Episcopus vel alius loco Episcopi celebrat. Can. 413 § 3.

2) **Regulares choro obstricti**

De his Decretum S. R. C. generale 3757 inter alia sequentia præscribit:

a) Regulares, jure consuetudinis aut eorum Constitutionum secluso, tenentur tantum legere unam Missam conventualem, tempore a Rubricis præscripto, quamvis aliæ Missæ ab illis essent canendæ, sive votivæ, sive Defunctorum, ut onera particularia adimpleantur, vel ex particulari S. Sedis indulto.

b) Sive illa Missa legatur, sive fiat cum cantu, non solum in Duplicibus 1, sed et 2 classis omittenda est Commemoratio Simplicis occurrentis aut de die infra Octavam (communem).[1])

c) Ad Rogationum Missam celebrandam tenentur, si publica supplicatio locum habet.

IV Missæ conventualis applicatio

1) **Quoad beneficiarios Cathedralium et Collegiatarum**

a) Missa conventualis applicanda est pro benefactoribus in genere. Cod. jur. can. c. 417 § 1. Jam si quæratur, quis applicare teneatur, dicendum est, ad hoc obligari omnes, qui beneficium chorale possident, quique ad corpus Capituli pertinent, ergo

α) dignitarii,
β) ceteri canonici,
γ) mansionarii (vicarii)

Ex jure quidem obligantur solum canonici,[2]) etiamsi duæ vel tres Missæ a Rubri-

---

[1]) Vide infra privilegia Missæ conventualis, pag. 88 et 89. [2]) Decr. S. R. C. 2896 ad 1.

cis præscribantur[1]) et quidem per turnum aut alio modo juxta consuetudinem vel statuta Capituli vel conventiones initas, sed ex consuetudine[2]) canonici mansionarios de gremio Capituli substituere possunt, præsertim si agatur de Missis conventualibus extra Chorum sine cantu celebrandis.

b) Capitularis infirmitate detentus non tenetur eleemosynam præbere sacerdoti capitulari, qui ipsius vicem supplet in Missæ conventualis celebratione et applicatione, nisi statuta capitularia vel particularis consuetudo aliud ferant. Cod. jur. can. c. 417 § 2.

c) Servari potest consuetudo præbendi stipem celebranti vel ex cumulo distributionum vel ex reditibus omnium præbendarum per contributum. Can. 417 § 3.

d) Si quis (simul parochus) eodem die urgeatur onere utriusque Missæ et pro populo et conventuali, hanc ipse celebret applicetque per se, illam per alium vel per se die sequenti. Can. 419 § 2.

2) **Quoad regulares**

Quoad regulares non habetur applicationis obligatio ex parte Ecclesiæ, ideoque Missæ conventualis applicatio eorum arbitrio permissa est, nisi aliter disponant eorum Constitutiones sive Regulæ.

V Missæ conventualis tempus

1) Missa conventualis celebrari debet immediate post Horam a Rubricis et Decretis designatam, ita ut inter illas breve vel longum aliquod temporis spatium intercedere nequeat. S. R. C. d. 4053 ad 2. Hinc

[1]) Decr. S. R. C. 874. [2]) S. R. C. d. 901.

a) non ad aliud tempus transferri potest, quia v. gr. statutum ecclesiæ præcipit, ut capitula seu congregationes capitulares immediate post Primam celebrentur. S. R. C. d. 1609 ad 5;

b) omnis consuetudo, quamvis immemorialis, huic ordini contraria, tamquam abusus eliminanda est. S. R. C. d. 2459, 2578 ad 1, 2682 ad 27, 3039 ad 1, 3096 ad 3, 3250;

c) nullo modo licet inter Missam conventualem Horas canonicas recitari ac duas actiones distincte et successive faciendas simul confundi.

Illa tamen Capitula, quæ habent privilegium Missam conventualem in Choro celebrandi sine cantu, plerumque etiam alterum privilegium obtinuere infra Missam conventualem sic lectam etiam Horas canonicas choraliter persolvere.

2) Hora autem Missæ conventuali assignata varia est pro diversitate Temporum et Missarum; modo dicenda est post Primam, modo post Tertiam, modo post Sextam, modo post Nonam. Celebranda est

a) post mediam noctem, dicto *Te Deum laudamus*, Missa prima in Nativitate Domini;

b) post Primam:

α) Missa Defunctorum; ubi vero dicuntur eorum Vigiliæ mane post Matutinum diei, dictis hujusmodi Vigiliis cum Laudibus, dici potest Missa pro Defunctis;

β) Missa secunda in aurora Nativitatis Domini, dictis Laudibus et Prima;

γ) Missæ votivæ pro re non gravi ex fundatione vel alia obligatione celebrandæ;

c) post Tertiam:

α) in Festis duplicibus et semiduplicibus, etiam Tempore Adventus vel Quadragesimæ celebrandis,
β) in Dominicis,
γ) infra Octavas,
δ) tertia Missa in die Nativitatis Domini,
ε) in Vigilia Nativitatis Domini, si venerit in Dominica,
ζ) in Vigilia Epiphaniæ, sive in Dominica, sive in Feria occurrerit;

d) post Sextam:

α) in Festis simplicibus et in Feriis per annum;
β) in Vigilia Ascensionis;
γ) Missæ votivæ, quæ loco conventualis de Feria communi in Choro suffici possunt;

e) post Nonam:

α) Missæ de Tempore
1. in Adventu,
2. in Quadragesima,
3. in Quatuor Temporibus, etiam infra Octavam Pentecostes;

β) Missæ in sequentibus Vigiliis:
1. in Vigilia Nativitatis Domini extra Dominicam occurrenti,
2. in Vigilia Pentecostes,
3. in reliquis Vigiliis supra non exceptis;

γ) ex indulto in ipso die Festo Ssmi Corporis Christi. (S. R. C. d. 1609 ad 6.)

δ) Missæ Rogationum;

ε) Missæ votivæ sollemnes pro re gravi et publica simul causa; sin alia Missa conventualis similiter post Nonam celebranda sit, quæ cum Officio concordat, hæc prius cantanda est, postea votiva;

ζ) Missa in die depositionis Defuncti vel III, VII, XXX aut anniversario sollemni, in quo fit concursus populi, poterit similiter dici ultimo loco post Nonam;

η) Quoad Missas in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum exspectatur declaratio S. R. C., quia agitur de re nova. Interim sequens sententia videtur probabilis:

1. Si una tantum cantetur Missa, videtur cantanda post Nonam juxta Rubricas gen. Missalis Tit. XV n. 3.

2. Si tres hac die cantentur Missæ, videntur dicendæ
   prima: post Laudes,
   secunda: post Primam,
   tertia: post Nonam,
   cum hæc sint tempora jam pro Missis Defunctorum a Rubricis et Decretis determinata.[1])

VI Missæ conventualis privilegia

Missa conventualis, etiam lecta tantum, gaudet sequentibus privilegiis:

1) Adhiberi possunt in ea duo ministri clerici vel laici. S. R. C. d. 3059 ad 7;

---

[1]) Cf. Ephemerides Liturgicæ 1916 (XXX) pag. 664 et 259 s.

2) Licet etiam plus quam duas candelas accendere;
3) Omittuntur in ea sequentes Commemorationes ad Laudes Officii factæ (cf. Tit. V. n. 1 nov. Rubr.):
   a) in *Duplicibus 1 classis:*
      α) diei Octavæ communis,
      β) Festi duplicis,
      γ) Festi semiduplicis;
   b) in *Duplicibus 2 classis:*
      α) diei Octavæ simplicis,
      β) Festi simplicis;
4) Preces a Leone XIII præscriptæ post Missam conventualem omittuntur;
5) In Officii Hora immediate præcedenti omittitur Antiphona finalis B. M. V. (Rubr. gen. Brev. Tit. XXXVI. n. 3).

VII Ejus numerus et locus

Non una tantum quotidie celebranda est Missa conventualis, sed nonnumquam duæ, immo quibusdam diebus tres. Et usque ad promulgatas 1911 Rubricas ad normam Bullæ *Divino afflatu* Missæ conventuales omnes una die celebrandæ erant cantandæ in Choro.

Titulo XII prædictarum Rubricarum Pius X aliquam mitigationem concessit constituendo, ut in ecclesiis, in quibus adest Obligatio Chori, una tantum Missa cum assistentia Choralium in posterum esset celebranda; et quidem de Officio diei, nisi aliter Rubricæ disponerent. Aliæ Missæ, quæ usque ad evulgatas novas Rubricas cum prædicta assistentia celebrabantur, in posterum extra Chorum erant legendæ post propriam Horam canonicam. Exceptis tamen ab hac regula Missis in Litaniis majoribus et minoribus et Missis in Festo Nativitatis Domini; exceptis pariter Missis in anniversariis creationis et

coronationis Summi Pontificis, electionis seu translationis et consecrationis Episcopi, necnon in anniversario ultimi Episcopi defuncti, et omnium Episcoporum et Canonicorum; omnibusque Missis ex fundatione.

Quia vero per novissimas Rubricas iterum essentialis mutatio facta est, cum Missa principalis conventualis, in Choro cantanda, abhinc non semper de Officio diei sit dicenda, de hac quæstione in sequentibus fusius erit tractandum.

B Regulæ circa qualitatem Missæ conventualis

I Unica Missa conventualis

Generatim et ordinarie per Annum dicitur quotidie una tantum Missa conventualis, cum cantu, in Choro, assistentibus Choralibus. Hæc est Officio aut conformis aut non conformis. Singuli casus considerandi sunt.

1) **Missa dicitur Officio conformis,** si hoc Officium fuerit
   a) de Dominica, etsi facta sit ad Laudes Commemoratio Festi simplificati vel simplicis, aut Octavæ privilegiatæ vel communis,
   b) de Festo duplici 1 classis, etsi facta sit ad Laudes Commemoratio Dominicæ, aut Octavæ privilegiatæ 2 et 3 ordinis, aut Feriæ Adventus, quæ non sit Quatuor Temporum;
   c) de Festo duplici 2 classis, etsi facta sit

   dummodo
   1) ad Laudes non facta sit Commemoratio,
      a) Feriæ Quadragesimæ vel Passionis,

ad Laudes Commemoratio Dominicæ aut Octavæ privilegiatæ 3 ordinis, aut Festi simplificati vel simplicis, aut Feriæ Adventus, quæ non sit Quatuor Temporum;

d) de die Octava communi, etsi ad Laudes facta sit Commemoratio Festi simplificati vel simplicis, aut Octavæ communis aut Feriæ Adventus, quæ non sit Quatuor Temporum;

e) de Festo duplici majori vel minori aut semiduplici, etsi ad Laudes facta sit Commemoratio Festi simplificati vel simplicis aut Octavæ communis, aut Feriæ Adventus, quæ non sit Quatuor Temporum;

b) Quatuor Temporum Adventus vel mensis Septembris,
c) Vigiliæ communis, aut
2) non occurrerint Litaniæ majores vel minores.

f) de die Octava privilegiata Epiphaniæ vel Corporis Christi vel Ascensionis, etsi ad Laudes facta sit Commemoratio Festi simplificati vel simplicis aut Octavæ communis;

dummodo non facta sit Commemoratio Vigiliæ communis.

g) de die infra Octavam communem, etsi ad Laudes facta sit Commemoratio Festi simplicis vel Feriæ Adventus, quæ non sit Quatuor Temporum; } dummodo ad Laudes facta non fuerit Commemoratio Feriæ Quatuor Temporum Adventus vel mensis Septembris, aut Vigiliæ communis, aut non occurrerint Litaniæ minores, aut demum non sit ea die primo resumenda Missæ Dominicæ præcedentis impedita.

h) de Vigilia privilegiata Nativitatis, etsi facienda sit Commemoratio Dominicæ IV Adventus;

i) de Vigilia privilegiata Epiphaniæ, etsi ad Laudes facta sit Commemoratio Octavæ communis aut Festi simplicis;

k) de Vigilia privilegiata Pentecostes;

l) de Feria majori privilegiata, etsi ad Laudes facta sit Commemoratio Festi simplificati aut simplicis;

m) de Feria majori non privilegiata Adventus, quæ non sit Quatuor Temporum, nisi occurrerit aliqua Vigilia, vel dicatur Feria II Missa pro Defunctis;

n) de Feria Quadragesimæ a Feria V post Cineres usque ad Sabbatum post Dominicam Passionis inclusive, aut de Feria IV Temporum Adventus vel mensis Septembris, } etsi occurrerit aliqua Vigilia communis, de qua fit tantum Commemoratio;

o) de die infra Octavam privilegiatam, nisi primo in ea resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis infra eamdem Octavam impedita;

p) de Feria VI post Octavam Ascensionis, etsi ad Laudes facta sit Commemoratio Festi simplicis;

q) de die Octava simplici, etsi ad Laudes facta sit Commemoratio Festi simplicis,
r) de S. Maria in Sabbato, etsi ad Laudes facta sit Commemoratio Festi simplicis,
s) de Festo simplici;

dummodo in eis non sit primo resumenda Missa Dominicæ præcedentis impedita;

t) de Feria minori Tempore Paschali, etiam Feria III Rogationum;
u) de Feria II Rogationum, etsi Commemoratio facta sit Octavæ vel Festi simplicis aut Vigiliæ, dummodo non occurrat Festum aliquod duplex aut semiduplex;
v) de Vigilia Ascensionis, etsi Commemoratio facta sit Octavæ vel Festi simplicis, dummodo non occurrat Officium duplex aut semiduplex nec fiat Processio;

w) de Feria minori per Annum.

dummodo
1) non dicatur Missa conventualis votiva huic Feriæ assignata;
2) non sit prima dies mensis libera, in qua celebrari debeat Missa conventualis de Requie pro defunctis Sacerdotibus, benefactoribus et aliis;
3) non sit Feria II Hebdomadæ, in qua dici possit Missa pro Defunctis.

2) **Missa Officio non conformis dicitur:**

a) si extra Quatuor Tempora Officium factum sit de Feria Adventus, in qua occurrat Vigilia: tunc enim Missa conventualis dicitur non de Feria, sed de Vigilia cum Commemoratione Feriæ;

b) si Officium factum fuerit de die infra Octavam communem, et occurrat aliqua Feria Quatuor Temporum Adventus vel mensis Septembris, aut aliqua Vigilia, Missa conventualis dicitur non de die infra Octavam, sed de Feria vel Vigilia cum Commemoratione Octavæ;

c) si Officium factum fuerit de die infra aliquam Octavam privilegiatam 2 et 3 ordinis, et primo resumenda sit Missa præcedentis Dominicæ infra eamdem Octavam occurrentis impedita nec occurrat infra eamdem hebdomadam Feria minor aut Festum aliquod simplex, tunc dicitur Missa conventualis non de Octava, sed de Dominica, et in ea fit Commemoratio Octavæ et aliæ, quæ occurrant;

d) si Officium factum fuerit de die infra Octavam communem, et primo resumenda sit Missa præcedentis Dominicæ impedita, nec occurrat infra hebdomadam Feria minor aut Festum aliquod simplex, tunc dicitur Missa conventualis non de Octava, sed de Dominica et in ea fit Commemoratio Octavæ et aliæ, quæ occurrant;

e) si Officium factum fuerit de die Octava simplici vel de sancta Maria in Sabbato vel de Festo simplici et primo resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis impedita, tunc dicitur Missa conventualis non de Simplici, sed de Do-

minica et in ea fit Commemoratio Simplicis et aliæ quæ occurrant;

f) si Officium factum fuerit de Feria II Adventus vel de Feria minori per annum, et non dicatur Missa Dominicæ præcedentis vel votiva de Ssma Trinitate, dicitur Missa pro defunctis Sacerdotibus, benefactoribus et aliis;

g) si Officium factum fuerit de Feria minori per annum extra Tempus Paschale et mensem Novembrem et ea die sit prima dies mensis libera, in qua nempe non occurrat Feria Quatuor Temporum aut aliqua Vigilia aut primo non sit resumenda Missa Dominicæ præcedentis impedita, tunc Missa conventualis dicitur de Requie pro defunctis Sacerdotibus, benefactoribus et aliis.

II Duæ Missæ conventuales

Cum casus, in quibus dicendæ sint plures Missæ conventuales, varii sint, pro varietate occasionum, melioris conspectus gratia in sequentibus distinguuntur Missæ conventuales dicendæ extra dies Litaniarum, sive majorum, sive minorum, ab iis, quæ præscribuntur diebus Litaniarum.

A Missæ conventuales extra Rogationes

I In occursu Feriæ majoris non privilegiatæ, propriam Missam habentis, aut Vigiliæ communis cum Officio duplici aut semiduplici.[1])

1) Si sequentibus diebus, nempe

a) aut in Feria aliqua majori non privilegiata, propria Missa gaudenti, nempe

[1]) Cfr. tit. I. num. 1 nov. Rubr. pag. 7 sequ.

α) in Feria Quadragesimæ a Feria V post Cineres usque ad Sabbatum post Dominicam Passionis inclusive, vel
β) in Feria Quatuor Temporum Adventus vel mensis Septembris

b) aut in Vigilia communi

2) fiat Officium
a) de Duplici cujusque gradus, nempe
α) de Duplici 1 classis, vel
β) de Duplici 2 classis, vel
γ) de Duplici majori, vel
δ) de Duplici minori,
b) aut de Semiduplici,

3) duæ dicuntur Missæ conventuales, et quidem
a) una de Officio diei, et quidem
α) sine Commemoratione Feriæ vel Vigiliæ,
β) sed cum Commemorationibus aliis forte occurrentibus;
b) altera de Feria vel Vigilia sine Commemoratione Officii diei;

4) et quidem dicitur
a) una in Choro cum assistentia Choralium,
b) altera extra Chorum sine hujusmodi assistentia,

5) et quidem dicitur Missa
a) in Choro cantanda cum assistentia Choralium,
α) in Duplicibus 1 et 2 classis et per Octavas privilegiatas 2 ordinis de Officio currentis diei,
β) in reliquis Duplicibus vel Semiduplicibus de Feria aut Vigilia.

b) extra Chorum legenda sine assistentia
   α) in Duplicibus 1 et 2 classis et per Octavas privilegiatas 2 ordinis de Feria aut Vigilia,
   β) in reliquis Duplicibus vel Semiduplicibus de iis.

II In occursu Feriæ majoris non privilegiatæ, propriam Missam habentis, cum Vigilia communi et Officio duplici vel semiduplici.[1])

1) Si in sequentibus Feriis majoribus non privilegiatis propriam Missam habentibus, nempe
   a) in Feriis Quadragesimæ a Feria V post Cineres usque ad Sabbatum post Dominicam Passionis inclusive, vel
   b) in Feriis Quatuor Temporum Adventus vel mensis Septembris

2) occurrant
   a) Officium duplex (cujusque gradus) vêl semiduplex
   b) et Vigilia communis,

3) duæ dicuntur Missæ conventuales, et quidem
   a) una de Officio diei, et quidem
      α) sine Commemoratione Feriæ nec Vigiliæ,
      β) sed cum Commemorationibus aliis forte occurrentibus;
   b) altera de Feria sine Commemoratione Officii diei, sed cum Commemoratione Vigiliæ,

4) et quidem dicitur
   a) una tantum in Choro cum assistentia Choralium,

---

[1]) Cfr. tit. I, num. 2 nov. Rubr. pag. 9.

b) altera extra Chorum sine hujusmodi assistentia,

5) et quidem dicitur Missa

a) in Choro cantanda cum assistentia Choralium

α) in Duplicibus 1 et 2 classis et per Octavas privilegiatas 2 ordinis de Officio diei currentis,

β) in reliquis Duplicibus et Semiduplicibus de Feria cum Commemoratione Vigiliæ.

b) extra Chorum legenda

α) in Duplicibus 1 et 2 classis et per Octavas privilegiatas 2 ordinis de Feria cum Commemoratione Vigiliæ (in Dupl. 1 cl. omittenda),

β) in reliquis Duplicibus et Semiduplicibus de iis.

B Missæ conventuales in diebus Rogationum[1])

Hic attendendum est, utrum Processio fiat necne.

I Feria II Rogationum

A Si non fiat Processio:

1) Quodsi Officium fuerit de Feria II Rogationum, dicitur una tantum Missa conventualis in Choro de Rogationibus, in qua, si occurrat simul Vigilia communis, fit ejusdem Commemoratio;

2) Quodsi Officium fuerit de die infra Octavam communem, Missa conventualis dicitur una in Choro de Rogationibus cum Commemoratione Octavæ;

---

[1]) Cfr. tit. I. num. 3 nov. Rubr. pag. 10—12.

3) Quodsi Officium fuerit de Festo duplici majori vel minori aut semiduplici, duæ dicuntur Missæ conventuales:
   a) una in Choro de Rogationibus cum Commemoratione Vigiliæ communis, si qua occurrat,
   b) altera extra Chorum de Officio diei cum Commemoratione Octavæ, si qua occurrat, et aliis forte occurrentibus;
4) Quodsi Officium fuerit de Festo duplici 1 vel 2 classis, vel de Octava privilegiata 2 ordinis, tunc item duæ dicuntur Missæ conventuales:
   a) una in Choro de Officio currenti,
   b) altera extra Chorum de Rogationibus, in qua, si occurrat Vigilia, fit ejusdem Commemoratio, nisi Festum fuerit duplex 1 classis, quia tunc nihil fit de Vigilia.

B Si fiat Processio:

Hoc in casu, omnia dicuntur ut sub A 1-3, cum sequenti exceptione. Quodsi nempe Officium fuerit duplex 1 vel 2 classis, vel Octava privilegiata 2 ordinis, tunc in Choro duæ dicuntur Missæ conventuales:
1) una de Officio diei,
2) altera de Rogationibus post Processionem.

II Feria III Rogationum

A Si non fiat Processio:

1) Si Officium fuerit de Feria, in Choro una dicitur Missa de Rogationibus.
2) Quodsi Officium fuerit de die infra Octavam communem, vel de die Octava simplici vel de Festo simplici, una dicitur Missa conventualis in Choro de Officio diei cum Commemoratione Rogationum.

3) Quodsi Officium fuerit de aliquo Duplici (cujusque gradus) aut Semiduplici, aut Vigilia communi, tunc item in Choro una tantum dicitur Missa conventualis de Officio diei cum Commemoratione Rogationum.

B Si fiat Processio:

1) Quodsi Officium fuerit de Feria, in Choro una dicitur Missa de Rogationibus;
2) Quodsi Officium fuerit de die infra Octavam communem, vel de die Octava simplici vel de Festo simplici, una dicitur Missa conventualis in Choro de Rogationibus cum Commemoratione Officii diei;
3) Quodsi Officium fuerit de aliquo Duplici majori vel minori aut semiduplici, duæ dicuntur Missæ conventuales:
   a) una in Choro de Rogationibus,
   b) altera extra Chorum de Officio diei;
4) Quodsi Officium fuerit de Duplici 1 vel 2 classis, vel de Octava privilegiata 2 ordinis, duæ dicuntur in Choro Missæ conventuales:
   a) una de Officio diei,
   b) altera de Rogationibus.

III Feria IV Rogationum et Vigilia Ascensionis

A Si non fiat Processio:

1) Quodsi Officium fuerit de Vigilia, una dicitur in Choro Missa conventualis de Vigilia cum Commemoratione Rogationum;
2) Quodsi Officium fuerit de die infra Octavam communem, una dicitur in Choro Missa conventualis de Vigilia cum Commemoratione Octavæ et Rogationum;
3) Quodsi Officium fuerit de Duplici majori vel minori aut semiduplici, duæ dicuntur Missæ conventuales:

a) una in Choro de Vigilia cum Commemoratione Rogationum,
b) altera extra Chorum de Officio diei;

4) Quodsi Officium fuerit de Duplici 2 classis vel de Octava privilegiata 2 ordinis, duæ dicuntur Missæ conventuales:
a) una in Choro de Officio diei,
b) altera extra Chorum de Vigilia cum Commemoratione Rogationum;

5) Quodsi Officium fuerit de Duplici 1 classis, Vigilia penitus omissa, dicitur una tantum Missa conventualis in Choro de Officio diei cum Commemoratione Rogationum.

B Si fiat Processio:

1) Quodsi Officium fuerit de Vigilia, duæ dicuntur Missæ conventuales:
a) una in Choro de Vigilia,
b) altera item in Choro de Rogationibus;

2) Quodsi Officium fuerit de die infra Octavam communem, duæ dicuntur Missæ conventuales:
a) una in Choro de Vigilia, cum Commemoratione Octavæ,
b) altera item in Choro de Rogationibus:

3) Quodsi Officium fuerit de Duplici majori vel minori aut Semiduplici, tres dicuntur Missæ conventuales:
a) una in Choro de Vigilia,
b) altera extra Chorum de Officio diei,
c) tertia post Processionem de Rogationibus;

4) Quodsi Officium fuerit de Duplici 2 classis vel de Octava privilegiata 2 ordinis, tres dicuntur Missæ conventuales:
a) una in Choro de Officio diei,
b) altera extra Chorum de Vigilia,

c) tertia post Processionem de Rogatio nibus;

5) Quodsi Officium fuerit de Duplici 1 clas sis, Vigilia penitus omissa, duæ dicuntu Missæ conventuales:
a) una in Choro de Officio diei,
b) altera post Processionem de Rogatio nibus.

IV In Litaniis majoribus

A Infra Octavam Paschæ

I Si non fiat Processio:

Hoc in casu, Missa conventualis dicitu de Octava Paschæ in Choro cum Comme moratione Rogationum.

II Si fiat Processio:

Tunc dicuntur duæ Missæ conventuales:
a) una in Choro de Octava Paschæ,
b) altera post Processionem de Rogatio nibus;

B Extra Octavam Paschæ

I Si non fiat Processio:

Hoc in casu Missa conventualis in Choro dicitur de S. Marco (aut Officio nobiliori cum Commemoratione Rogationum.

II Si fiat Processio:

Tunc dicuntur duæ Missæ conventuales in Choro:
a) una de Officio diei,
b) altera de Rogationibus post Processio nem.

III Tres Missæ conventuales

Tres Missæ dicuntur conventuales
1) in Vigilia Ascensionis, si
a) Processio fiat, et
b) Officium fuerit de Duplici 2 classis

vel de Octava privilegiata 2 vel 3 ordinis, de Duplici majori vel minori aut Semiduplici.

2) aliis temporibus, si

a) juxta Rubricas duæ jam dicendæ sint Missæ conventuales, et

b) insuper occurrat dies, in qua

α) anniversarium Creationis et Coronationis Papæ occurrat,

β) aut anniversarium Electionis aut Translationis et Consecrationis Episcopi,

γ) aut anniversarium ultimi Episcopi defuncti aut omnium Episcoporum aut Canonicorum,

δ) aut Missa ex fundatione celebranda.

IV Una tantum Missa conventualis per exceptionem[1]).

In casibus hucusque consideratis supponitur, in Ecclesiis dici posse plures Missas conventuales. Cum vero Ecclesiæ habeantur, in quibus una tantum dicatur Missa conventualis, etsi in aliis Ecclesiis eadem die plures celebrentur juxta Rubricas, in genere pro his casibus sequens norma jugiter observanda est: De Officio diei celebratur Missa conventualis, si per se plures essent dicendæ, tantum in Duplicibus 1 et 2 classis et per Octavas privilegiatas 2 ordinis, cum Commemoratione Feriæ vel Vigiliæ; si vero Officium fuerit de Duplici majori vel minori aut Semiduplici, Missa conventualis dicitur de Feria vel Vigilia cum Commemoratione Officii diei.

In specie vero hæc regula applicanda

[1] Cfr. tit. I. num. 4 nov. Rubr. pag. 13.

erit in sequentibus casibus sæpius occurrentibus:

1) Quodsi in Feriis Quadragesimæ a Feria V post Cineres usque ad Sabbatum post Dominicam Passionis inclusive, aut in Feriis Quatuor Temporum Adventus et mensis Septembris, aut in Feria II Rogationum, dummodo in ea non fiat Processio, aut in Vigiliis communibus occurrat:
   a) Festum duplex 1 vel 2 classis aut Octava privilegiata 2 ordinis: Missa conventualis dicitur de Officio diei cum Commemoratione Feriæ vel Vigiliæ vel Rogationum et aliis forte occurrentibus. In Duplici vero 1 classis Vigiliæ Commemoratio omittitur;
   b) Officium duplex majus vel minus aut semiduplex: Missa conventualis dicitur de Feria vel Vigilia vel Rogationibus cum Commemoratione Officii diei et aliis forte occurrentibus.
2) Quodsi in Feria Quadragesimæ a Feria V post Cineres usque ad Sabbatum post Dominicam Passionis inclusive, aut in Feria Quatuor Temporum Adventus et mensis Septembris occurrant
   a) Vigilia communis et Duplex 1 classis, Missa conventualis dicitur de Officio diei cum Commemoratione Feriæ, sed non Vigiliæ;
   b) Vigilia communis et Duplex 2 classis et Octava privilegiata 2 ordinis, Missa conventualis dicitur de Officio diei cum Commemoratione Feriæ et Vigiliæ;
   c) Vigilia communis et Officium duplex majus vel minus aut Festum semiduplex, Missa conventualis dicitur de Fe-

ria cum Commemoratione Officii diei et Vigiliæ et aliis forte occurrentibus.

3) Quodsi in Litaniis minoribus occurrerit Duplex 1 classis et fiat Processio, Missa conventualis dicitur de Officio diei cum Commemoratione Rogationum; in Vigilia Ascensionis Commemoratio Vigiliæ omittitur.

4) Quodsi in Litaniis minoribus occurrerit Duplex 2 classis vel Octava privilegiata 2 vel 3 ordinis et fiat Processio, Missa conventualis dicitur de Rogationibus cum Commemoratione Officii diei et, in Vigilia Ascensionis, Vigiliæ.

5) Quodsi in Litaniis minoribus occurrerit Officium duplex majus vel minus aut Festum semiduplex, Missa conventualis dicitur de Rogationibus cum Commemoratione Officii diei et, in Vigilia Ascensionis, Vigiliæ.

6) Quodsi Litaniæ majores occurrerint in Feria II vel III Paschæ et Processio fiat, Missa conventualis dicitur de Officio diei cum Commemoratione Rogationum tantum.

7) Quodsi Litaniæ majores occurrerint in Feriam IV vel sequentes Ferias Octavæ Paschæ vel in Dominicam in Albis, et fiat Processio, Missa conventualis dicitur de Rogationibus cum Commemoratione Octavæ vel Dominicæ et aliis forte occurrentibus.

8) Quodsi extra Octavam Paschæ die 25 Apr. occurrerit Duplex 1 classis et fiat Processio, Missa conventualis dicitur de Officio diei cum Commemoratione Rogationum.

9) Quodsi extra Octavam Paschæ, die 25 Aprilis occurrerit Festum S. Marci vel Octava privilegiata 2 ordinis et fiat Processio,

Missa conventualis dicitur de Rogationibus cum Commemoratione S. Marci vel Octavæ et, si occurrat, etiam Dominicæ.

IV De Missa parochiali

A Ejus notio

Missa parochialis est ea, quæ quibusdam diebus ab animarum pastoribus Officio diei conformis celebrari atque pro populo sibi commisso applicari debet.

B Fusior explicatio

I Quando celebrari debeat.

Distinguendum est inter obligationem sine dierum restrictione et obligationem mitigatiorem.

1) Obligatio sine dierum restrictione

Obligatio sine restrictione extendit se juxta can. 339 § 1 Cod. jur. can. ad

a) omnes Dominicas,

b) omnia Festa de præcepto, etiam suppressa.[1]) Festa autem sunt hæc:

α) Festa mobilia:

*Feria II post Pascha,
*Feria III post Pascha,
Ascensio Domini,
*Feria II post Pentecosten,
*Feria III post Pentecosten,
Ssmi Corporis Christi;

β) Festa fixa:

*S. Andreæ Apostoli, 30 Nov.,
Conceptionis immac. B. M. V., 8 Dec.

[1]) Signum * denotat Festum suppressum, juxta Decr. S. Congr. Concilii d. d. 28 Dec. 1919.

Nativitatis Domini, 25 Dec.,[1])
*S. Stephani Protomartyris, 26 Dec.,
*S. Joannis Ap. et Ev., 27 Dec.,
*Ss. Innocentium Mm., 28 Dec.,
*S. Silvestri Ep. et Conf., 31 Dec. (ratione ultimi diei anni civilis et gratiarum actionis in eo persolvendæ pro beneficiis a Deo acceptis),
Circumcisionis Domini, 1 Jan.,
Epiphaniæ Domini, 6 Jan.,
*Purificationis B. M. V., 2 Febr.,
*S. Matthiæ Apostoli, 24 vel 25 Febr.,
S. Joseph, Sponsi B. M. V., 19 Martii,
*Annuntiationis B. M. V., 25 Martii,
*Ss. Philippi et Jacobi App., 1 Maji,
*Inventionis S. Crucis, 3 Maji,
*Nativitatis S. Joannis Bapt., 24 Junii,
Ss. Petri et Pauli App., 29 Junii,
*S. Jacobi Ap., 25 Julii,
*S. Annæ Matris B. M. V., 26 Julii,
*S. Laurentii Mart., 10 Aug.,
Assumptionis B. M. V., 15 Aug.
*S. Bartholomæi Ap., 24 Aug.,
*Nativitatis B. M. V., 8 Sept.,
*S. Matthæi Ap., 21 Sept.,
*S. Michaelis Archangeli, 29 Sept.,
*Ss. Simonis et Judæ App., 28 Oct.,
Omnium Sanctorum, 1 Nov.,
*Patroni principalis loci (pagi, oppidi, civitatis, diœcesis, provinciæ, regni, nationis) si habeatur; ad summum vero in duobus Festis, non pluribus.

c) *Notanda:*

a) Obligatio applicationis autem non adest pro Festis S. Joseph (Feria IV post Dom. II post Pascha) et S. Jo-

[1]) In una tantum Missa.

achim (16 Aug.), nisi hi Sancti sint Patroni principales loci; nec pro Festo Tituli propriæ Ecclesiæ, nisi simul sit Patronus loci.

β) Quodsi aliquod ex Festis supra enumeratis incidat in Dominicam, utrumque præceptum unica applicatione adimpletur.

γ) Ordinarius loci justa de causa permittere potest, ut parochus Missam pro populo alia die applicet ab ea, qua jure adstringitur. Can. 466 § 3.

δ) Si Festum ita transferatur, ut in die *ad quem* non solum fiat Officium cum Missa Festi translati, sed serventur quoque obligationes audiendi Missam et abstinendi a servilibus, Missa pro populo applicanda est in *die ad quem*, secus in *die a quo*. Can. 339 § 3.

2) Obligatio cum dierum restrictione

Obligatio applicandi mitigatior quibusdam animarum pastoribus concessa extendit se ad sequentes saltem dies juxta Can. 306:

a) Nativitatis Domini, in u n a tantum Missa,
b) Epiphaniæ,
c) Paschatis,
d) Ascensionis,
e) Pentecostes,
f) Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V., 8. Dec.
g) Assumptionis B. M. V., 15 Aug.,
h) S. Joseph, 19 Martii,
i) Ss. Petri et Pauli App., 29 Junii,
k) Omnium Sanctorum, 1 Nov.

II Qui ad Missæ applicationem obligentur.

A) Ad Missam pro populo celebrandam et applicandam obligantur o m n e s et s o l i

actu curam animarum exercentes primariam,[1]) et quidem

1) sine dierum restrictione

a) omnes, qui aliquod habent beneficium, cum quo directe et principaliter tale Officium conjunctum est, ergo

α) Episcopi ordinarii, etiam dignitate cardinalicia aucti: Can. 339 § 1,

β) Abbates seu Prælati *nullius;* Can. 323 § 1,

γ) Parochi: Can. 466 § 1;

b) etiam Vicarii capitulares: Can. 440;

c) Vicarii curati, qui actu nempe curam animarum exercent, dum cura habitualis penes alium remanet: Can. 471 § 4;

d) Vicarii, qui parochia vacante ad curam in ea exercendam deputantur: Can. 471 § 4;

e) Curati ad nutum amovibiles: Can. 475 § 2;

f) Parochi regulares: Can. 466 § 1.

2) cum dierum restrictione:

a) Vicarii et Præfecti Apostolici: Can. 306;

b) Quasi-parochi in aliquo Vicariatu Apostolico seu Præfectura juxta Can. 216 § 2 constituti: Can. 466.

3) Notanda:

a) Parochus, qui plures forte parœcias æque principaliter unitas regat aut, præter propriam parœciam, aliam vel alias in admini-

[1]) S. R. C. 2892 ad 2.

strationem habeat, unam tantum debet Missam pro populis sibi commissis diebus præscriptis applicare: Can. 466 § 2.

b) Parochus Missam pro populo applicandam celebret in ecclesia parœciali, nisi rerum adjuncta Missam alibi celebrandam exigant aut suadeant: Can. 466 § 4.

c) Legitime absens parochus potest Missam pro populo applicare vel ipse per se in loco quo degit, vel per sacerdotem, qui ejus vices gerat in parœcia: Can. 466 § 5.

d) Si quis (Canonicus) eodem die urgeatur onere utriusque Missæ et pro populo et conventuali, hanc ipse celebret applicetque per se, illam (parochialem) per alium vel per se die sequenti: Can. 419 § 2.

B) Ad Missam pro populo applicandam non tenentur pastorum coadjutores, qui non subintrant in eorum locum, sed tantum coadjuvant, ergo

1) Episcopi titulares. At vero juxta Can. 348 § 2 decet ex caritate, citra tamen obligationem, ut aliquando Missæ sacrificium pro sua diœcesi applicent.

2) Superiores regulares,

3) Cooperatores seu capellani a parochis stipendiati: Can. 476 § 6,

4) Sacerdotes sæculares vel regulares, qui ex caritate sacramenta administrant, et diebus Dominicis et festivis in aliqua parœcia derelicta celebrant,

5) Capellani monialium curæ præpositi,

6) Capellani asylorum pro pauperibus, carcerum, hospitalium, nosocomiorum,
7) Præsides confraternitatum et congregationum vel unionum sæcularium,
8) Curati militum,
9) Præpositi collegiorum aut seminariorum.

(*) Qui Missam pro populo applicare debent, non possunt pro hujusmodi applicatione eleemosynam seu stipendium percipere.[1])

III De qualitate Missæ parochialis

1) Missa parochialis debet esse conformis Officio diei, uti sæpius a S. R. C. declaratum est. ex. gr. Decr. 3887, 4269.

Cum juxta tit. II, num. 11 novarum Rubricarum (vide supra pag. 24 Notam 36) non amplius urgeat onus Missæ parochialis, impositum per Decr. S. R. C. d. d. 28 Oct. 1913, de sollemnitate externa in Dominicam minorem translata Festi alicujus Patroni principalis vel Tituli aut Dedicationis propriæ ecclesiæ aut Tituli vel Sancti Fundatoris Ordinis seu Congregationis, necnon Festi duplicis I classis, quod olim alicui Dominicæ minori per annum perpetuo affixum erat, immo et Festi sacratissimi Rosarii B. M. V., potest, nisi occurrat Duplex I classis, etiam a parocho celebrari Missa, quin obligetur ad Missam Officio diei conformem.

2) Missa parochialis non habet rationem Missæ conventualis, ut in ipsa, si legatur, omitti possit Commemoratio Simplicis et Preces post Missam a Leone XIII præscriptæ. S. R. C. d. 3957 ad 3.

---

[1]) Benedictus XIV *Cum semper*, § 2.

3) In Dominicis aliisque Festis de præcepto, etiam suppressis, possunt in Missa parochiali, etiamsi tantum legatur, duo ministri inservientes adhiberi et plus quam duæ candelæ in Altari accendi. S. R. C. d. 3057 ad 2, 3065.

V De Missis privatis

Ordinarie et per se etiam Missæ privatæ Officio diei sint conformes, oportet, præsertim si agatur de Duplici 1 vel 2 classis aut de Octavis privilegiatis 1 et 2 ordinis. At vero quoad Missas privatas Ecclesia non raro exceptiones concedit, cum, pluribus Officiis eadem die occurrentibus, non determinatam Missam præscribat, uti fit in Missis conventualibus, sed hisce in casibus arbitrio Celebrantis permittat, quam Missam dicere velit. Missa privata intelligitur hic ea, quæ est contraria conventuali. Casus vero sæpius occurrentes sunt hi:

A Quoad Ferias majores non privilegiatas propria Missa gaudentes[1])

I Casus:

1) Si occurrant eadem die,
   a) Feria major non privilegiata propriam Missam habens, nempe
      α) aliqua Feria Quadragesimæ a Feria V post Cineres usque ad Sabbatum post Dominicam Passionis inclusive, aut

[1]) Cfr. tit. I, num. 1 nov. Rubr. pag. 8.

β) Feria Quatuor Temporum Adventus vel mensis Septembris
γ) aut Feria II Rogationum,

b) et Officium aliquod Duplex 1 aut 2 classis vel Octava privilegiata 2 ordinis,

2) Missæ privatæ dici debent de Officio diei cum Commemoratione Feriæ.

II Casus:

1) Si occurrant eadem die
a) Feria major non privilegiata propriam Missam habens, nempe
α) aliqua Feria Quadragesimæ a Feria V post Cineres usque ad Sabbatum post Dominicam Passionis inclusive, aut
β) Feria Quatuor Temporum Adventus vel mensis Septembris aut
γ) Feria II Rogationum,
b) et Officium duplex majus vel minus aut semiduplex,

2) Missæ privatæ dici poterunt
a) aut de Feria cum Commemoratione Officii diei,
b) aut de Officio diei cum Commemoratione Feriæ.

B Quoad Vigilias communes [1])

I Casus:

1) Si occurrant eadem die
a) Vigilia communis
b) et Duplex 1 classis,

2) Missæ privatæ dicuntur de Officio diei sine Commemoratione Vigiliæ.

---

[1]) Cfr. tit. I, num. 1 nov. Rubr. pag. 8.

II Casus:

1) Si occurrant eadem die
   a) Vigilia communis
   b) et Duplex 2 classis,
2) Missæ privatæ dicuntur de Officio diei cum Commemoratione Vigiliæ.

III Casus:

1) Si occurrant eadem die
   a) Vigilia communis
   b) et Octava privilegiata 2 Ordinis,
2) Missæ privatæ dicuntur de Octava cum Commemoratione Vigiliæ.

IV Casus:

1) Si occurrant eadem die
   a) Vigilia communis
   b) et Officium duplex majus vel minus aut Festum semiduplex,
2) Missæ privatæ dici poterunt
   a) aut de Vigilia cum Commemoratione Officii diei,
   b) aut de Officio diei cum Commemoratione Vigiliæ.

C Quoad Ferias majores non privilegiatas, ut supra, et Vigilias communes [1])

I Casus:

1) Si occurrant eadem die
   a) Feria major non privilegiata, ut supra,
   b) et Vigilia communis,
2) Missæ privatæ dici poterunt
   a) aut de Feria cum Commemoratione Vigiliæ,

---

[1]) Cfr. tit. I, num. 2 nov. Rubr. pag. 9 et 10.

b) aut de Vigilia cum Commemoratione Feriæ.

II Casus:

1) Si occurrant eadem die
   a) Feria major non privilegiata, ut supra,
   b) et Vigilia communis,
   c) et Duplex 1 classis,
2) Missæ privatæ dicuntur de Officio diei cum Commemoratione Feriæ tantum.

III Casus:

1) Si occurrant eadem die
   a) Feria major non privilegiata, ut supra,
   b) et Vigilia communis,
   c) et Duplex 2 classis aut Octava privilegiata 2 ordinis,
2) Missæ privatæ dicuntur de Officio diei cum Commemoratione Feriæ et Vigiliæ.

IV Casus:

1) Si occurrant eadem die
   a) Feria major non privilegiata, ut supra,
   b) et Vigilia communis,
   c) et Officium duplex majus vel minus aut semiduplex,
2) Missæ privatæ dici poterunt
   a) aut de Officio diei cum Commemoratione Feriæ et Vigiliæ,
   b) aut de Feria cum Commemoratione Officii diei et Vigiliæ,
   c) aut de Vigilia cum Commemoratione Officii diei et Feriæ.

D Quoad Missam de Dominica primo resumendam[1])

Diebus, quibus juxta Rubricas Missa conventualis dicenda est de præcedenti Do-

[1]) Cfr. tit. I, num. 6 nov. Rubr. pag. 14—16.

minica impedita, Missæ privatæ dici poterunt

1) aut de Officio diei cum Commemoratione Dominicæ,
2) aut de Dominica cum Commemoratione Officii diei.

E Quoad Festa quædam perpetuo vel accidentaliter impedita [1])

I Missæ privatæ ad libitum Sacerdotis dici etiam poterunt de Festis duplicibus majoribus vel minoribus aut semiduplicibus, quæ propter occurrens Officium nobilius perpetuo vel accidentaliter impediantur ideoque simplificentur.

II Hæ Missæ prohibentur tamen, si Officium impediens fuerit

1) Duplex 1 classis,
2) Duplex 2 classis,
3) Dominica quævis, sive sit
   a) Dominica major,
   b) Dominica minor,
   c) Dominica anticipata,
   d) Dominica, etiam quoad Officium reposita;
4) Octava privilegiata 1 et 2 ordinis, ergo
   a) Paschæ,
   b) Pentecostes,
   c) Epiphaniæ,
   d) Corporis Christi,
   e) Octavæ 2 ordinis per indultum privilegiatæ;
5) dies Octava privilegiata 3 ordinis, ergo
   a) Ascensionis,
   b) Octavæ per indultum privilegiatæ;

[1]) Cfr. tit. IV, num. 4 nov. Rubr. pag. 38.

6) Feria privilegiata, ergo
   a) Feria IV Cinerum,
   b) Feria II, III, IV Majoris Hebdomadæ;
7) Vigilia privilegiata, ergo
   a) Nativitatis,
   b) Epiphaniæ,
   c) Pentecostes.

III Hæ Missæ privatæ permittuntur, si Officium impediens fuerit
   1) dies Octava communis,
   2) Festum duplex majus,
   3) Festum duplex minus,
   4) Festum semiduplex.

F Quoad Officia ad Laudes commemorata et alia[1])

I Missæ privatæ dici etiam poterunt ritu festivo
   1) de quolibet Officio ad Laudes commemorato,
   2) de Mysterio, Sancto aut Beato, cujus illa die mentio fiat in Martyrologio aut in ejus appendice pro respectivis ecclesiis approbata.

II Hæ Missæ prohibentur, si Officium diei fuerit
   1) Officium duplex, cujuscumque sit gradus;
   2) Dominica quævis, sive sit
      a) Dominica major,
      b) Dominica minor,
      c) Dominica anticipata,
      d) Dominica, quoad solam Missam primo resumendam reposita:

[1]) Cfr. tit. IV. num. 5 nov. Rubr. pag. 39.

3) Feria major, quæ propriam habeat Missam, ergo
   a) aliqua Feria Quadragesimæ a Feria IV Cinerum usque ad Feriam IV Majoris Hebdomadæ inclusive,
   b) Feria II Rogationum,
   c) Feria Quatuor Temporum Adventus vel mensis Septembris;
4) Octava privilegiata, sive in Ecclesia universali sive particulari;
5) Vigilia
   a) privilegiata,
   b) communis.

III Hæ Missæ permittuntur, si Officium diei fuerit
1) Festum semiduplex,
2) dies infra Octavam communem,
3) Feria VI post Octavam Ascensionis,
4) dies Octava simplex,
5) Officium S. Mariæ in Sabbato,
6) Festum simplex,
7) Feria Adventus, exceptis Quatuor Temporibus,
8) Feria minor.

VI De Missis votivis in genere

I Quid sit Missa votiva

Missa votiva in sensu stricto est ea, quæ celebratur
1) Officio non conformis,
2) ex voto vel voluntate,
   a) aut Sacerdotis celebrantis,
   b) aut Ordinarii (Summi Pontificis, Episcopi),

α) aut præscribentis,
β) aut saltem permittentis;

c) aut petentis eleemosynamque offerentis,

3) ob causam rationabilem.

Missæ votivæ a Leone XIII anno 1883 concessæ et anno 1911 a Pio X iterum abrogatæ non erant Missæ votivæ proprie dictæ, quia Officio erant non difformes, sed conformes Officio votivo.

II Missarum votivarum distinctio

Missæ votivæ distinguuntur

A) ratione objecti, de quo Missa votiva celebratur:

I in Missas votivas de Sanctis, quæ subdistinguuntur in duas classes:

1) in Missas votivas de B. Maria Virg.; hæ iterum dividuntur in duas classes:

a) communes, quarum sunt quinque pro diversitate Temporum, nempe
α) in Adventu,
β) a die 26 Dec. usque ad 2 Febr. inclusive,
γ) a die 3 Febr. usque ad Feriam IV Majoris Hebdomadæ inclusive,
δ) Tempore Paschali,
ε) a Feria II infra Hebdomadam I post Pentecosten usque ad Sabbatum ante Dominicam I Adventus inclusive:

b) speciales, nempe
α) de Conceptione immaculata B. M.V.,
β) de Septem Doloribus B. M. V.

Notanda:

α) De Apparitione B. Mariæ Virg. immaculatæ (cujus Festum die 11 Februarii peragitur), de qua Missa votiva per Decr. S. R. C. 4238 anno

1909 concessa est, in posterum non amplius Missa votiva celebrari poterit. Cf. Rubricam specialem de Missis votivis in Missali positam ante Missas votivas ad diversa.

β) Item sine speciali indulto S. Sedis alias Missas votivas speciales in honorem B. M. V. celebrare non licet.

γ) Quando Missa votiva celebranda est in honorem B. M. V. in aliquo ejus Festo, vel quando Officium fuerit de die infra Octavam Festi B. M. V., tunc juxta Decr. S. R. C. 3922 V. 1 hæc Missa celebranda est Festo vel Octavæ conformis, more festivo, non votivo. Simile quid dicendum est de Missa votiva in Vigilia Conceptionis immaculatæ aut Assumptionis, juxta idem Decretum.

2) in Missas votivas de reliquis Sanctis: Juxta Rubricam specialem ante Missas votivas diversas in Missali positam Missæ votivæ dici possunt . . . . de omnibus Sanctis canonizatis in Martyrologio Romano descriptis, pro quibus Missa sumitur sive propria, si habeatur, sive de Communi mutatis mutandis, ut in Proprio assignatur. Quodsi in Kalendario non inscribantur, omnia dicuntur de Communi ad libitum Sacerdotis. Hinc Missæ votivæ dici poterunt

a) de Sanctis, de quibus habeatur Missa propria

α) in Proprio de Tempore
β) in Proprio Sanctorum

} attentis specialibus novis Rubricis circa Missas votivas additis,

b) de Sanctis, de quibus habeatur Missa propria in Proprio Diœcesis vel Ordinis seu Congregationis,

c) de Sanctis canonizatis in Martyrologio Romano vel ejus appendice approbata descriptis. Quodsi in Kalendario Diœcesis aut Ordinis seu Congregationis non inscribantur, omnia sumenda sunt ex Communi, juxta libitum Sacerdotis, i. e. si in Communi plures Missæ exstant, potest eligere, quam maluerit.

Notandum: Missæ propriæ pro aliquibus locis concessæ et in antiquis Missalibus exstantes, quarum nonnullæ etiam in nova editione typica iterum receptæ sunt, ab iis tantum dici possunt, quibus concessæ sunt.

d) de Beatis sine speciali indulto S. Sedis Missæ votivæ celebrari nequeunt, etsi alicui Diœcesi vel Ordini seu Congregationi Officium et Missa pro Festo alicujus Beati sint concessa.[1])

II in Missas votivas de Mysteriis:

1) Non omnia Mysteria et Festivitates Domini possunt assumi pro Missis votivis, sed tantum sequentes:

a) de Ssma Trinitate,
b) de Spiritu Sancto,
c) de Ssmo Eucharistiæ Sacramento,
d) de Passione Domini,
e) de S. Cruce,
f) de Ssmo Nomine Jesu,
g) de sacratissimo Corde Jesu,
h) de pretiosissimo Sanguine D. N. J. C.

} quæ positæ sunt in Missis votivis I

[1]) Cf. Ephemerides Liturgicæ 1914 (XXVIII) pag. 39.

i) de Ssmo Redemptore
k) de quibusdam Instrumentis et Mysteriis Passionis Domini

} ubi Missæ hæ propriæ festivæ a S. Sede sunt concessæ.

2) Numquam dici possunt ut votivæ sequentes Missæ
a) de Nativitate,
b) de Circumcisione,
c) de Epiphania,
d) de Resurrectione,
e) de Ascensione.

III in Missas votivas pro diversis necessitatibus. Hæ sunt omnes Missæ votivæ diversæ, quæ enumerantur supra pag. 73 s.

B) ratione sollemnitatis extrinsecæ, quacum celebrantur:

I in Missas votivas extrinsece sollemnes,
II in Missas cantatas,
III in Missas privatas lectas.

C) ratione sollemnitatis intrinsecæ in sollemnes, privilegiatas, privatas:

Agitur in hac distinctione non de sollemnitate extrinseca, sive de eo, utrum Missæ celebrentur cum assistentia sacrorum Ministrorum, Diaconi nempe et Subdiaconi, cum cantu, ornatu Altaris, incensatione, sed, ut notat bene Van der Stappen (pag. 186), „de natura Missarum votivarum, earumque valore intrinseco, juxta quem aliæ ex eis potiores sunt, sive ex gravitate causæ, ob quam celebrantur, sive ex consideratione ejus, qui eas celebrare mandat, et dicuntur sollemnes; aliæ minoris æstimantur, cum non gravis, sed rationabilis tantum causa, non Superioris voluntas, sed particularis tantum personæ votum interpo-

natur, quæ vocantur privatæ; aliæ tandem medium tenent, quæ ob causas non stricte graves, sed ex circumstantiis valde rationabiles, ab auctoritate legitima quasi indulgentur, et dicuntur privilegiatæ. Ex his autem ob intrinsecam sollemnitatem seu intrinsecum valorem tripliciter distinctis Missis votivis, si quæritur de extrinseca, quacum celebrantur, sollemnitate, nonnullæ equidem, sollemnes scl. et quædam privilegiatæ, semper celebrari debent cum extrinseca sollemnitate, aut saltem in cantu; aliæ vero, nempe ex privilegiatis diversæ, et privatæ omnes, possunt quidem celebrari cum sollemnitate extrinseca, etsi intrinsece sollemnes non sint, sed non debent, ac possunt etiam celebrari tamquam extrinsece privatæ, seu legi. Unde efficitur: Missa votiva privata potest sollemniter celebrari."

I in Missas votivas intrinsece sollemnes, quæ celebrantur
1) pro re gravi et publica simul causa,
2) cum sollemnitate extrinseca,
3) cum concursu populi,
4) de mandato vel saltem consensu Ordinarii pro qualibet vice obtinendo;

II in Missas votivas privilegiatas,[1]) quæ sunt illæ Missæ Officio non conformes, quæ vel a Rubricis vel a S. Sede præscribuntur aut saltem permittuntur. Sunt vero hæ:
1) Missa, quæ juxta Tit. IV, n. 1 et 2 novarum Rubricarum celebrari poterunt
a) de Festo per accidens impedito
α) Patroni principalis,

[1]) Cum iis non sunt confundendæ illæ Missæ votivæ privatæ, quæ ex speciali S. Sedis indulto Sacerdotibus cæcutientibus conceduntur. De quibus vide infra pag. 214—217.

β) Tituli vel Dedicationis Ecclesiæ propriæ,

γ) Tituli vel Sancti Fundatoris Ordinis seu Congregationis:

b) de Festo cum magno populi concursu celebrato, quod transferri vel commemorari aut accidentaliter omitti debeat, aut

c) de Festo item cum magno populi concursu celebrato de Mysterio, Sancto vel Beato, cujus illa die mentio fiat in Martyrologio vel in ejus appendice pro respectivis ecclesiis approbata.

2) Missa celebrata in Dominica minori per annum de Sollemnitate externa Festi
   a) Patroni principalis,
   b) Tituli aut Dedicationis propriæ ecclesiæ,
   c) Tituli aut Sancti Fundatoris Ordinis seu Congregationis.

3) Missa celebrata in Dominica minori de Sollemnitate externa Festi olim eidem Dominicæ minori per annum perpetuo affixi, nunc vero alicui Feriæ ante istam Dominicam perpetuo assignati.

4) Missa votiva celebrata in Oratione Quadraginta Horarum aut, vi specialis indulti, in Adoratione perpetua.

5) Missa, quæ vocatur Aurea, ex immemorabili consuetudine celebrata in Feria IV Quatuor Temporum Adventus.

6) Missa votiva in die Creationis et Coronationis Summi Pontificis et in eorum dierum anniversario.

7) Missa votiva in anniversario Electionis seu Translationis et Consecrationis Episcopi.

8) Missa votiva de sacratissimo Corde Jesu, quæ celebrari potest in prima Feria VI cujusque mensis.

9) Missa votiva, quæ celebratur in ipsa die Dedicationis ecclesiæ vel in ipsa sollemni consecratione altaris.
10) Missa votiva, quæ celebratur in benedictione primarii lapidis vel in benedictione sollemni alicujus ecclesiæ.
11) Missa votiva pro Sponsis.

Missæ votivæ sub N° 1—10 enumeratæ semper habent ritum duplicem, etiamsi tantum legantur, uti apud nonnullas fas est; Missa pro Sponsis semper habet ritum simplicem.

III in Missas pro re non gravi vel pro privata tantum causa.

D) ratione suffectionis in Choro loco Missæ conventualis de Feria communi

I in Missas, quæ in Choro loco Missæ conventualis de Feria communi suffici possunt, quæ sunt Missæ votivæ I Missalis, uti enumerantur supra pag. 72. Hæc vero suffectio locum habere non potest
1) in Feriis Adventus,
2) in Feriis Quadragesimæ a Feria IV Cinerum usque ad Feriam IV Majoris Hebdomadæ inclusive,
3) in Feriis Quatuor Temporum,
4) in Rogationibus,
5) in Vigiliis communibus,
6) si primo resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis impedita,
7) si prima die mensis juxta Rubricas libera Missa conventualis dici debet in nigris pro defunctis Sacerdotibus, benefactoribus et aliis,

II in Missas, quæ suffici non possunt, quales sunt reliquæ omnes Missæ votivæ.

VII De Missis votivis intrinsece sollemnibus [1])

I Quid sit Missa intrinsece sollemnis

Ut Missa celebrari possit intrinsece sollemnis in sensu stricto, tres cumulative condiciones sint expletæ, oportet:

1) Missa debet celebrari pro re gravi et publica simul causa;
   a) causa debet esse gravis, non levis, etsi rationabilis sit, ergo vera necessitas quædam spiritualis vel temporalis,
   b) debet esse simul publica, ergo per se vel per accidens communitatem, Ecclesiam, patriam, diœcesim, regionem, aut saltem majorem ejus partem tangere.

Nota

a) Quamvis per se difficile sit, omnes causas graves et simul publicas accurate enumerare ac describere, tamen juxta auctores et varia S. R. C. decreta causæ tales sunt: [2])
   α) obtinendum beneficium commune, uti pacis, pluviæ, serenitatis,
   β) afflictio avertenda, uti belli, morbi contagiosi, terræmotus, inundationis, famis,
   γ) sanitas recuperanda Summi Pontificis, Episcopi, Regis,
   δ) gratiæ agendæ pro impetrato magno beneficio communi, ex. gr. post messem peractam, vel pro depulsa afflictione communi,

---

[1]) Cfr. tit. II, num. 3 et 11 nov. Rubr. pag. 19 et 24. [2]) Cfr. Schober, De cæremoniis Missæ, pag. 210 ss.

ε) comitia generalia vel provincialia pro electione Superioris Ordinis seu Congregationis vel ejus Provinciæ.

b) Tamquam causæ graves non sunt reputandæ

α) electio abbatissæ,

β) vestitio vel professio religiosa, etiamsi ea sit loci consuetudo,

γ) ordinatio ad sacrum ministerium, ex. gr. introductio parochi apud suum gregem,

δ) primitiæ neo-presbyterorum,

ε) jubilæum 50 annorum, juxta communem sententiam,

ζ) processio, quæ instituitur ratione Ssmi Sacramenti vel alicujus Festi vel Sollemnitatis ex. gr. cujusdam Confraternitatis,

η) novena etsi sollemniter celebrata,

ϑ) *Rorate* per Adventum quibusdam in regionibus usitatum,

ι) Adoratio perpetua, vel alia expositio Ssmi Sacramenti, Preces ad instar XL Horarum.

2) Missa debet celebrari cum extrinseca sollemnitate, aut saltem cum cantu, et quidem cum magno (i. e. extraordinario: S. R. C. decr. 2769 ad VIII, num. 4) populi concursu, ergo interventu magistratus, aut saltem Cleri et populi.

3) Missa debet celebrari de mandato aut saltem consensu Ordinarii pro qualibet vice obtinendo. Ordinarius intelligitur Summus Pontifex, Episcopus, Vicarius generalis, Vicarius capitularis.

Quodsi aliqua ex his condicionibus requisitis desit, non licet celebrare Missam votivam sollemnem, quia privilegia ei con-

cessa tantum conectuntur cum his tribus condicionibus cumulative expletis.

II Missæ votivæ sollemnes prohibentur:

1) in omnibus Dominicis majoribus 1 classis, nempe:
   a) in Dominica I Adventus,
   b) in Dominicis I—IV Quadragesimæ,
   c) in Dominica Passionis,
   d) in Dominica Palmarum,
   e) in Dominica Resurrectionis,
   f) in Dominica in Albis,
   g) in Dominica Pentecostes;
2) in Vigiliis privilegiatis 1 classis:
   a) Nativitatis,
   b) Pentecostes;
3) in Feriis majoribus privilegiatis:
   a) in Feria IV Cinerum,
   b) in Feria II, III, IV Majoris Hebdomadæ;
4) in omnibus Duplicibus 1 classis;
5) in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum.

Hoc valet etiam pro Missa de Ssmo Sacramento vel de Pace occasione Orationis XL Horarum proprie dictæ hac die hucusque licita, ut patet ex Decreto S. R. C. d. d. 19. Febr. 1919. Dubium nempe propositum: „Licebitne adhuc celebrare unicam Missam sollemnem de Ssmo Sacramento vel de Pace, de qua sermo est in Instructione Clementina et in Decreto generali S. R. C. 3864 ad 4 pro Oratione XL Horarum, quando dies expositionis, vel repositionis, aut medius incidit in diem Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum?“ solvit, respondendo: *Negative* et ad mentem. Mens autem est: „In Ecclesiis, ubi die Commemorationis Omnium Fidelium De-

functorum fiat Oratio XL Horarum cum Ssmo Sacramento sollemniter exposito, hujusmodi expositio sequatur, repositio vero cum processione præcedat Missam cantatam de die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum."

6) Quoties in ecclesiis, quibuscum conjunctum est onus Missæ conventualis, hoc onus urgeat, quin ei per alios Sacerdotes satisfieri queat;
7) in ecclesiis unam tantum Missam habentibus
   a) die 2 Februarii, si fiat benedictio Candelarum;
   b) in Litaniis majoribus et minoribus, si fiat Processio.

III Missæ votivæ sollemnes permittuntur:

1) in omnibus Dominicis majoribus 2 classis, nisi in eis occurrat Duplex 1 classis, nempe:
   a) in Dominica II et III Adventus,
   b) in Dominica IV Adventus extra Vigiliam Nativitatis occurrenti,
   c) in Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ;
2) in Dominicis minoribus, nisi occurrerit Duplex 1 classis,
3) in Duplicibus 2 classis,
4) in diebus Octavis privilegiatis
   a) Epiphaniæ,
   b) Ascensionis,
   c) Corporis Christi,
5) in diebus Octavis communibus,
6) in Duplicibus majoribus,
7) in Duplicibus minoribus, excepta Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum,
8) in diebus infra Octavas privilegiatas ritus semiduplicis,
9) in Festis semiduplicibus,

10) in diebus infra Octavas communes,
11) in Vigilia privilegiata Epiphaniæ,
12) Feria VI post Octavam Ascensionis,
13) in Feriis majoribus non privilegiatis et minoribus,
14) in Vigiliis communibus,
15) in diebus Octavis simplicibus,
16) in Officio de S. Maria in Sabbato,
17) in Festis simplicibus.

IV Missa votiva sollemnis de identico Domini Mysterio vel de eadem Sancti Persona, de quibus celebratur Officium diei.

1) Hæ tamen Missæ celebrari nequeunt die
   a) qua fiat
      α) Officium aut
      β) Commemoratio,
   b) vel occurrat
      α) Vigilia aut
      β) dies infra Octavam, quamvis simplicem,

   } de identico Domini Mysterio[1]) vel de eadem Sancti Persona, de quibus canenda esset Missa.

2) Tunc, loco Missæ votivæ, canitur Missa conveniens
   a) Officio, aut
   b) Commemorationi
   c) aut Vigiliæ
   d) aut Octavæ

   } cum Commemorationibus, quæ in ipsa Missa votiva faciendæ essent. Cfr. infra pag. 236 ss.

V Missa de Officio diei cum Oratione votiva

1) Si celebranda esset Missa votiva sollemnis diebus, quibus ejusmodi Missæ impediantur (vide supra N° II), in Missa de die, etiam conventuali, sub unica conclusione additur Oratio de Missa votiva impedita.

---

[1]) Identitas Mysterii habetur in Missis de Ssmo Sacramento, de Passione, de Cruce, de Ssmo Redemptore, de Ssmo Corde Jesu, de pretiosissimo Sanguine (Decr. S. R. C. 3924).

et fiunt tantummodo Commemorationes, quæ huic Missæ (votivæ) conveniunt.

2) Hæc tamen Oratio addi nequit
   a) in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum,
   b) in Duplicibus I classis primariis Domini Ecclesiæ universalis, exceptis Feriis II et III Paschæ et Pentecostes, in quibus permittitur, ergo
      α) in Nativitate Domini,
      β) in Epiphania Domini,
      γ) Feria V in Cœna Domini,
      δ) Feria VI in Parasceve,
      ε) Sabbato sancto,
      ζ) Dominica Paschatis,
      η) in Ascensione Domini,
      ϑ) in Dominica Pentecostes,
      ι) in Festo Ssmæ Trinitatis,
      ϰ) in Festo Corporis Christi.

VI Ritus Missæ votivæ sollemnis

Ritus Missæ votivæ sollemnis est duplex.

1) In ea dicitur semper *Gloria in excelsis*, nisi celebretur colore violaceo;

2) Hucusque in Missis votivis sollemnibus unica tantum dicebatur Oratio sine ulla Commemoratione, etiamsi in aliqua ecclesia una tantum Missa celebrabatur. Huic privilegio per novas Rubricas derogatum est statuentes, ut in Missis votivis sollemnibus Commemoratio fieri debeat
   a) de Duplici 2 classis,
   b) de Dominica quavis,
   c) de Feria majori,
   d) de Rogationibus,
   e) de Vigiliis privilegiatis, 2 cl.
   f) de Octavis privilegiatis.

3) Sequentia in Missa votiva sollemni omittitur.

4) *Credo* dicitur in omnibus Missis votivis sollemnibus, etiam infra hebdomadam colore violaceo celebratis.

5) Quoad Præfationem valent regulæ infra tradendæ de Præfatione. Cf. pag. 293.

6) *Communicantes* et *Hanc igitur* propria dicenda sunt etiam in Missis votivis sollemnibus.

7) *Ite, Missa est* semper dicitur, exceptis Missis in colore violaceo celebratis, in quibus dicitur *Benedicamus Domino.*

8) Regula hucusque vigens, juxta quam in Missis votivis semper dicendum erat Evangelium ultimum S. Joannis, abolita est per novas Rubricas statuentes,[1]) ut, quoties facta fuerit in Missa votiva sollemni Commemoratio

a) Dominicæ, licet anticipatæ vel, etiam quoad Officium, repositæ,
b) de Feria Quadragesimæ a die IV Cinerum usque ad Sabbatum post Dominicam Passionis inclusive,
c) Quatuor Temporum Adventus vel mensis Septembris,
d) Feriæ II Rogationum,
e) diei Octavæ Epiphaniæ,
f) et diei infra Octavam privilegiatam 1 ordinis,
g) Vigiliæ privilegiatæ Epiphaniæ,

semper legendum esset in fine etiam Evangelium Dominicæ, Feriæ, Vigiliæ, aut Octavæ, dummodo hoc (etsi tantum a principio, et non usque ad finem) idem non sit ac Evangelium, quod dictum fuerit in Missa.

[1]) Cfr. tit. IX nov. Rubr. pag. 60.

h) Missæ sive Officii Evangelium stricte proprium (et non appropriatum, vel ex aliquo Communi assignatum, vel per Octavam e Festo repetitum) habentis, } legendum esset hoc Evangelium stricte proprium, si nullum ex supra recensitis Evangelium fuerit in fine dicendum.

VIII De Missis votivis privilegiatis

Missæ votivæ privilegiatæ sunt illæ Missæ Officio non conformes, quæ vel ex speciali S. Sedis gratia permittuntur vel ejusdem auctoritate per Rubricas præscribuntur; earum causæ non sunt semper graves neque publicæ, sed saltem convenientes aut opportunæ; sollemnitas extrinseca, saltem cantus, pro aliis est requisita, pro aliis non; ita ut ex tribus condicionibus Missæ votivæ intrinsece sollemnis tres simul generatim non adsint, ad summum earum una alterave.

A Missa de Patrono, Titulo vel Sancto Fundatore per accidens impeditis [1])

I Discrimen inter Patronum et Titulum

Inter Patronum loci et Titulum Ecclesiæ bene est distinguendum. Quale inter utrumque versetur discrimen, breviter dicitur in Decreto S. R. C. 3048: „Cessat omne dubium, si Titulus ecclesiæ, qui etiam appellari quandoque solet Patronus ecclesiæ, distinguatur a Patrono loci, puta: civitatis, provinciæ, regni etc. Titulus enim sive Patro-

[1]) Cfr. tit. IV, num. 1 nov. Rubr. pag. 36.

nus ecclesiæ is dicitur, sub cujus nomine seu titulo ecclesia fundata est et a quo appellatur. Patronus autem loci est, quem certa civitas, diœcesis, provincia, regnum etc. sibi deligit velut singularem apud Deum Patronum; servatis in ejusmodi electione regulis in Decreto s. m. Urbano VIII die 23 Martii 1630 statutis."

A De Patrono:

1) Patronus in sensu liturgico[1]) est ille Sanctus, quem aliqua natio, regnum, provincia, diœcesis, civitas, oppidum, pagus, confraternitas, religiosa familia ut peculiarem apud Deum intercessorem propriumque suffragatorem sibi eligunt, approbante et confirmante electionem S. Sede Apostolica.

„Laudabiliter quoque, servatis servandis, Sancti nationum, diœcesium, provinciarum, confraternitatum, familiarum religiosarum aliorumque locorum et moralium personarum eliguntur et, accedente confirmatione Sedis Apostolicæ, constituuntur Patroni; Beati non item, sine peculiari ejusdem Sedis Apostolicæ indulto." C. J. C. can. 1278.

2) Distinguuntur Patroni
   a) ratione objecti:
      α) in Patronos loci (nationis, regni, provinciæ, diœcesis, civitatis etc.),
      β) in Patronos personæ alicujus moralis (confraternitatis, familiæ religiosæ, instituti religiosi, unionis piæ vel etiam sæcularis);

---

[1]) A Patrono in sensu liturgico bene distinguendus est Patronus in sensu canonico, scl. fundator catholicus ecclesiæ, capellæ aut beneficii. Cf. Cod. jur. can. c. 1448.

b) ratione dignitatis:
   α) in Patronos principales (primarios),
   β) in Patronos minus principales (secundarios).

3) De Patrono loci in specie
   a) Patronus loci debet esse Sanctus. Ex natura sua debet esse mediator, intercessor inter Deum et homines; unde
      α) tamquam Patronus eligi non potest
         1. Ssma Trinitas,
         2. neque Spiritus Sanctus,
         3. neque Christus Dominus, sub quocumque colatur mysterio,
      β) tamquam Patroni eligi possunt tantum
         1. B. Maria Virgo,
         2. Ss. Angeli,
         3. reliqui Sancti, non vero Beati, sine speciali indulto S. Sedis.

   b) Patronus loci principalis constitui debet electione legitime facta juxta normas a S. R. C. decr. 526 n. 2 et 3 statutas, nempe
      α) quod de Patrono civitatis electio fieri debeat a populo, mediante consilio illius civitatis aut loci; non autem ab Officialibus solum; et quod accedere debeat consensus expressus Episcopi et Cleri illius civitatis. Idemque servari debet in Patrono regni, qui pariter eligi debeat a populo singularum civitatum provinciæ, non autem a repræsentantibus regnum, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, et pariter cum consensu Episcopi et Cleri dictarum civitatum.

β) quod causæ electionis novorum Patronorum debeant in S. R. C. deduci ac examinari; ac demum, causa cognita, ab eadem Congregatione approbari et confirmari.

Quodsi in multis locis Sancti honore et jure patronatus jam gaudeant ab antiquissimis temporibus, antequam præfatum Decretum S. R. C. latum fuerit, et de hoc constet perpetuo usu ac traditione a majoribus accepta, nihil innovandum est.

Patronus semel rite et legitime electus nequit in alium mutari. S. R. C. d. 1061.

c) Patronus debet coli et honorari ab universo loci illius clero et populo, ita quidem, ut Festum ejus celebretur tamquam Duplex 1 classis cum Octava. Ecclesiastico autem præcepto feriationis, i. e. obligationis tum abstinendi ab operibus servilibus tum audiendi Missam, Festa Patronorum non amplius subjacent; locorum autem Ordinarii possunt sollemnitatem exteriorem transferre in Dominicam proxime sequentem. CJC. c. 1248 § 2.

Electio Patroni minus principalis hisce condicionibus non subjacet.

B De Titulo

1) Titulus ecclesiæ est

1. aut Persona divina,
2. aut Mysterium Domini,
3. aut res sacra, ex. gr. Crux,
4. aut Sanctus,

} sub cujus nomine et invocatione ecclesia est benedicta aut consecrata.

2) Possunt esse ergo Titulus ecclesiæ
   a) Ssma Trinitas,
   b) Spiritus Sanctus,
   c) Christus Dominus
      α) tamquam Salvator noster, quo in casu pro die festo sumi debet Festum Transfigurationis Domini, die 6 Aug., S. R. C. d. 2721,
      β) Ssmum Sacramentum Corporis Christi: S. R. C. d. 3157,
      γ) Ssmum Cor Jesu,
      δ) S. Crux;
3) Beati tamquam Tituli ecclesiæ constitui nequeunt: S. R. C. 2353.
4) Titulus eligitur in benedictione primarii lapidis, constituitur in ecclesiæ benedictione aut consecratione, ita quidem, ut non amplius possit mutari sine indulto S. Sedis: S. R. C. 2719: attamen addi potest Contitulus: S. R. C. d. 2853.
5) Tituli electio fit ex propria devotione parochi vel Episcopi vel fundatoris, et non est conjuncta cum juris sollemnitatibus sicut electio Patroni.
6) Titulus debet celebrari tamquam duplex 1 classis cum Octava.
7) In dubio, utrum Titulus ecclesiæ sit simul Patronus loci, inquirendum, utrum Festum Tituli ecclesiæ olim celebratum fuerit tamquam Festum de præcepto cum feriatione populi an non; quod si primum, censendus est Titulus ecclesiæ simul esse etiam Patronus loci, et in omnibus ecclesiis istius loci peragendum cum ritu duplici 1 classis cum Octava (extra Tempora pro Octavis particularibus clausa). Cfr. Decr. S. R. C. 3235.

II Privilegium per Rubricam concessum

A Textus Rubricæ

Titulus IV. n. 1 novarum Rubricarum[1]) sic habet: „Si Festum Patroni principalis, aut Tituli vel Dedicationis propriæ ecclesiæ, aut etiam Tituli aut Sancti Fundatoris Ordinis seu Congregationis, per accidens impediatur, de eo in sua die permittitur una Missa in cantu, vel Commemoratio in Missa diei currentis, quamvis conventuali, juxta ea, quæ de Missis votivis sollemnibus tit. II. n. 3 habentur."

B Explicatio Rubricæ

I Juxta Rubricam permittitur una Missa in cantu. Agitur hic de sequentibus Festis:

1) de Festo Patroni principalis.

Notatu dignum, quod non dicatur Patroni principalis loci, sed simpliciter Patroni principalis, quo innuitur, quod præter Patronum principalem loci, intelligendus sit etiam Patronus principalis alicujus personæ moralis, puta instituti religiosi, Confraternitatis.

2) de Festo Tituli propriæ ecclesiæ,
3) de Festo anniversarii Dedicationis propriæ ecclesiæ,
4) de Titulo Ordinis seu Congregationis,
5) de Festo Sancti Fundatoris Ordinis seu Congregationis.

II Agitur de occurrentia accidentali horum Festorum cum Officio nobiliori. Supposito, quod præfata Festa Patronorum seu Titulorum etc. non sint Festa duplicia primaria 1 classis universalis Ecclesiæ, impediri possunt tantum a sequentibus Officiis nobilioribus:

[1]) Cfr. etiam tit. VI Rubr. gen. Missalis.

1) a Dominica aliqua 1 classis, nempe
   a) a Dominica I Adventus,
   b) a Dominicis I—IV Quadragesimæ,
   c) a Dominica Passionis,
   d) a Dominica Palmarum,
   e) a Dominica Paschatis,
   f) a Dominica in Albis,
   g) a Dominica Pentecostes;
2) a Festo duplici 1 classis primario universalis Ecclesiæ;
3) ab Octava privilegiata 1 ordinis:
   a) Paschatis,
   b) Pentecostes;
4) a Feria majori privilegiata, nempe
   a) Feria IV Cinerum,
   b) Feria II, III, IV Majoris Hebdomadæ;
5) a Vigilia privilegiata 1 classis, nempe
   a) Nativitatis,
   b) Pentecostes;
6) a die Octava privilegiata 2 ordinis, nempe
   a) Epiphaniæ,
   b) Corporis Christi;
7) a die, in quo peragitur Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum.

III Cum in Rubrica supra apposita pro hac unica Missa in cantu in præfatis Festis Patroni etc. permissa normæ Missæ votivæ sollemnis statuantur,

1) hæc unica Missa in cantu prohibetur:
   a) in omnibus Dominicis 1 classis,
   b) in Duplicibus 1 classis primariis Ecclesiæ universalis,
   c) in Feriis privilegiatis,

d) in Vigiliis privilegiatis Nativitatis et Pentecostes,
e) in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum;

2) hæc unica Missa in cantu permittitur:

a) in Feria IV, V, VI et Sabbato:
   α) Octavæ Paschatis,
   β) Octavæ Pentecostes;
b) in diebus Octavis privilegiatis:
   α) Epiphaniæ,
   β) Corporis Christi,

nisi fiat Officium de eadem Persona, de qua canenda esset Missa;

3) Diebus, quibus hæc unica Missa in cantu prohibetur, in Missa de die, quamvis conventuali, sub unica conclusione additur ejus Oratio, quod tamen iterum prohibetur

a) in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum,
b) in Nativitate Domini,
c) in Epiphania Domini,
d) in Triduo Sacro Majoris Hebdomadæ,
e) in Dominica Resurrectionis,
f) in Ascensione Domini,
g) in Dominica Pentecostes,
h) in Festo Ssmæ Trinitatis,
i) in Festo Ssmi Corporis Christi.

Ex hisce dictis luculenter apparet, quod paucissimi sint dies, in quibus hæc Missa dici possit.

B Missa cum magno populi concursu quibusdam in casibus celebrata[1])

I Simile quod privilegium a Rubricis conceditur pro iis ecclesiis, ubi magno cum populi concursu Festum celebretur,

1) quod debeat ob occurrens Officium nobilius
   a) aut transferri,
   b) aut commemorari,
   c) aut accidentaliter omitti;
2) aut quod celebretur

a) de Mysterio,	cujus illa die mentio fiat in Martyrologio vel in ejus appendice pro respectivis ecclesiis approbata.
b) aut Sancto,	
c) aut Beato,	

II Condicio, sub qua conceditur hæc una Missa cum cantu, est, ut Festum celebretur cum magno populi concursu. Juxta Decr. S. R. C. 2769 concursus populi magnus censendus est, si sit extraordinarius. Ut vero omne dubium in hac re tollatur, requiritur juxta Rubricam (tit. IV. n. 2 nov. Rubr.), ut judicet de ea Ordinarius.

In jure nomine Ordinarii intelliguntur, nisi quis expresse excipiatur, præter Romanum Pontificem, pro suo quisque territorio Episcopus residentialis, Abbas vel Prælatus *nullius* eorumque Vicarius generalis, Administrator, Vicarius et Præfectus Apostolicus, itemque ii, qui prædictis deficientibus interim ex juris præscripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine; pro suis vero subditis Superiores majores in religionibus clericalibus

[1]) Cfr. tit. IV. num. 2 nov. Rubr. pag. 37.

exemptis. Nomine autem Ordinarius loci seu locorum veniunt omnes recensiti, exceptis Superioribus religiosis. Hinc, cum in ecclesiis exemptorum Religiosorum clericalium judicium de concursu populi sit penes Episcopum, intelligendus est Ordinarius loci.

III Pro hac una Missa in cantu valent regulæ superius traditæ pro Missis votivis sollemnibus. Impeditur ergo, quando illæ prohibentur, et permittitur, quando illæ permittuntur itemque licita est tantum Commemoratio Missæ votivæ, quando apud illas fieri potest.[1])

IV Commemorationes in hac Missa faciendas quod attinet, hæc observanda sunt:
1) Quodsi Festum sit inscriptum in proprio Kalendario sub ritu duplici 1 classis, facienda est Commemoratio de
   a) Duplici 2 classis,
   b) Dominica,
   c) Feria majori,
   d) Rogationibus,
   e) Vigilia privilegiata,
   f) Octava privilegiata.
2) Quodsi Festum istud sit inscriptum in proprio Kalendario sub ritu duplici 2 classis, facienda est Commemoratio de quolibet Officio occurrenti, exceptis tamen
   a) die infra Octavam communem.
   b) die Octava simplici,
   c) Festo simplici.
3) In omnibus aliis casibus facienda est Commemoratio de quolibet Officio occurrenti.

[1]) Cfr. supra pag. 128—131.

C Missæ de sollemnitate externa translata in Dominicam [1])

I Prænotanda

1) Juxta Decretum S. R. C. d. d. 12 Febr. 1916 ad 2 sollemnitas externa Festi alicujus in Dominicam translata celebrari quidem potest, sed non debet.

2) Privilegia sollemnitatis externæ celebrationi adnexa tunc tantum possunt adhiberi, si celebratio sollemnitatis externæ peragitur in Dominica Festum immediate sequenti, nullo modo vero in Dominica Festum præcedenti vel mediate tantum sequenti, una alterave Dominica interposita.[2])

3) Distinguendæ sunt juxta novas Rubricas et Decr. S. R. C. d. d. 28 Oct. 1913 duæ classes sollemnitatis externæ, quæ distinctio petenda est ab objecto, i. e. a qualitate Festi, de quo agitur:

a) prima classis est de sequentibus Festis:

α) de Festo Patroni principalis,
β) de Festo Tituli propriæ ecclesiæ,
γ) de Festo Dedicationis propriæ ecclesiæ,
δ) de Festo Tituli Ordinis seu Congregationis,
ε) de Festo Sancti Fundatoris Ordinis seu Congregationis.

[1]) Cfr. tit. IV. num. 3 nov. Rubr. pag. 37.

[2]) Exceptio habetur in Bavariæ Diœcesibus pro sollemnitate externa B. Mariæ Virginis, Patronæ Bavariæ, quæ Dominicæ infra Octavam Ascensionis affixa est, sive dies festus 14 Maji mediate vel immediate præcedat vel etiam sequatur.

b) altera classis est de iis Festis, quæ olim alicui Dominicæ minori per annum perpetuo affixa erant, et in iis iterum distinguendum est, utrum Festum, de quo agitur,
α) sit ritus duplicis 1 classis,
β) an ritus duplicis 2 classis.

II De sollemnitate externa Patroni, Tituli, Dedicationis[1])

1) Hæc sollemnitas externa locum habere potest
a) in ecclesiis proprie dictis,
b) in oratoriis publicis,
c) in oratoriis semipublicis.[2])

2) Modus sollemnitatis externæ varius erit pro diversitate Dominicarum, in quibus sollemnitas peragitur:

a) in Dominicis minoribus per annum.

In Dominicis minoribus per annum, in quibus non occurrat Duplex 1 classis, permittitur de Festis supra (I. 3, a) enumeratis
α) una Missa sollemnis vel saltem cantata,
β) unica Missa lecta privata;

b) in Dominicis majoribus et in Duplicibus 1 classis sollemnitas externa horum Festorum ita tantum fieri potest, ut in Missa de die (i. e. de Dominica majori vel de Duplici 1 classis), quamvis conventuali, Oratio de sollemnitate externa impedita sub unica conclusione addatur Orationi principali.

---

[1]) Cfr. tit. IV, num. 3 nov. Rubr. pag. 37.
[2]) De eorum inter se differentia vide infra pag. 187—189.

Hoc[6] vero prohibetur
α) in Dominica Resurrectionis,
β) in Dominica Pentecostes,
γ) in Festo Ssmæ Trinitatis,
δ) in Festo Nativitatis Domini,
ε) in Festo Epiphaniæ Domini,
} si forte in Dominicam incidant.

III De sollemnitate externa Festorum olim alicui Dominicæ minori per annum perpetuo affixorum[1])

1. Agitur hic solum de Festis cum ritu saltem duplicis 2 classis, non autem cum ritu inferiori.

a) In Ecclesiæ universalis Kalendario sunt sequentia:

α) Festum S. Joseph, olim Dominicæ III post Pascha, nunc Feriæ IV præcedenti affixum,

β) Festum S. Joannis Baptistæ, anno 1911 Dominicæ IV Junii, nunc iterum diei 24 Junii affixum,

γ) Festum Pretiosissimi Sanguinis, olim Dominicæ I Julii, nunc diei 1 Julii affixum,

δ) Festum S. Joachim, olim Dominicæ infra Octavam Assumptionis B. M. V., nunc diei 16 Augusti affixum,

ε) Festum Ssmi Nominis Mariæ, olim Dominicæ infra Octavam Nativitatis B. M. V., nunc diei 12 Septembris affixum,

ζ) Festum Septem Dolorum B. M. V., olim Dominicæ III Septembris, nunc diei 15 Septembris affixum,

[1]) Cfr. Decr. S. R. C. d. d. 28 Oct. 1913.

η) Festum Sacratissimi Rosarii B. M. V., olim Dominicæ I Octobris, nunc diei 7 Octobris affixum.

b) In Kalendariis ecclesiarum particularium:

α) in Bavaria (et forte etiam alibi) Festum Patroni loci et Tituli ecclesiæ propriæ anno 1912 alicui Dominicæ perpetuo affixum,

β) in nonnullis Diœcesibus Festum Dedicationis propriæ ecclesiæ, olim alicui Dominicæ mensis Octobris vel Novembris affixum,

γ) sequentia Festa, si etiam nunc vi indulti Apostolici celebrari valeant, plerumque gaudent tantum ritu duplici majori; at vero in nonnullis Kalendariis habent etiam nunc ritum altiorem, ita ut privilegium per Rubricam concessum iis faveat:

1. Sacræ Familiæ, olim Dominicæ III post Epiphaniam, nunc diei 19 Januarii affixum,
2. Inventio Pueri Jesu in medio Doctorum, olim Dominicæ IV post Epiphaniam, nunc diei infra hebdomadam præcedentem affixum,
3. Ssmi Sepulcri D. N. J. C., olim Dominicæ II post Pascha, nunc diei infra hebdomadam præcedentem affixum, vel, ut in Kalendario novo Ordinis Fratrum Minorum, diei 15 Julii, qui dies est anniversarius expugnationis Jerosolymæ per crucigeros anno 1099,
4. B. Mariæ Virg., Divini Pastoris Matris, olim Domini-

cæ I Maji, nunc diei infra hebdomadam præcedentem affixum, vel diei 3 Sept.,

5. B. Mariæ Virg., Reginæ Apostolorum, olim Dominicæ infra Octavam Ascensionis, nunc Feriæ VI post Ascensionem affixum,
6. B. Mariæ Virg. de perpetuo succursu, olim Dominicæ ante Festum Nativitatis S. Joannis Bapt., nunc diei 27 Junii affixum,
7. Ssmi Redemptoris, olim Dominicæ III Julii, nunc diei 15 Julii vel 23 Oct. affixum,
8. Purissimi Cordis B. M. V., olim Dominicæ III Julii vel Dominicæ post Octavam Assumptionis ejusdem B. M. V., nunc vero Sabbato ante Dominicam III post Pentecosten affixum,
9. B. Mariæ Virg. de Consolatione, olim Dominicæ, nunc Sabbato post Festum S. Augustini (28 Aug.) affixum,
10. Ss. Angelorum Custodum, olim Dominicæ I Septembris, nunc diei 2 Oct. affixum,
11. Maternitas B. M. V., olim Dominicæ II Octobris, nunc diei 11 Octobris affixum,
12. Puritas B. M. V., olim Dominicæ III Octobris, nunc diei 16 Octobris affixum,
13. B. Mariæ Virg. de Suffragio, olim Dominicæ, nunc Sabbato post Festum Omnium Sanctorum affixum.

2. Modus celebrationis sollemnitatis externæ varius est pro diversitate ritus, quo Festum gaudet:

1) De sollemnitate externa Festi duplicis 1 classis et Festi sacratissimi Rosarii permittuntur Missæ omnes,

2) de sollemnitate externa Festi duplicis 2 classis permittitur tantum unica Missa sollemnis vel lecta.

Attamen, si in eadem Dominica Festum duplex 1 classis celebretur, pro Missis de Sollemnitate externa, quæ secus essent permissæ, dicitur Oratio in Missis diei currentis sub unica conclusione.

Quoad Commemorationes faciendas in his Missis de Sollemnitate externa in Dominicam translata vide infra pag. 238.

D De Missa in Oratione XL Horarum

I Ejus notio

Nomine Orationis XL Horarum intelliguntur Preces publicæ cum expositione Ssmi Sacramenti, quæ per quadraginta successivas horas, numquam interruptas, tribus diebus instituuntur, ad normam Instructionis a Clemente XI publicatæ ideoque *Clementinæ* vocatæ.

„Quodsi alicubi", ait Gardellini, „fiat hujusmodi expositio ad formam quidem Orationis XL Horarum, ita ut ad tertiam usque diem protrahatur, nocte tamen recondatur Sacramentum, non amplius locum habebunt sanctionis regulæ . . . Improprie namque dicitur ad formam XL Horarum, cum desit id, quod præcipuum est Instituti: *perpetuitas scl.*

Orationis per XL successive horas numquam interruptas, licet per tres dies fiat". Ubi autem Instructio Clementina non observatur, privilegia pro Missa non sunt concessa, sine speciali Indulto S. Sedis. S. R. C. d. 2814 ad 3.

II Ejus privilegia

1) Tam in expositione (prima die) quam in repositione (tertia die) cantatur Missa votiva sollemnis de Ssmo Sacramento.

2) Secunda expositionis die cantatur Missa votiva sollemnis pro Pace vel alia a Summo Pontifice aut Episcopo præscripta.

Ratio vero haberi debet recentissimi Decreti S. R. C. d. d. 19 Februarii 1919 prohibentis has Missas votivas in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum. Vide supra pag. 128.

Fusiorem rei tractationem vide apud Schober, De cæremoniis Missæ, pag. 246—253. Quoad Missam in Adoratione perpetua vide Van der Stappen Sacra Liturgia II² pag. 261—265.

E Missa Aurea

I Ejus notio

Missa aurea est illa, quæ ex immemorabili consuetudine et cum maximo populi concursu in variis regionibus cantatur Feria IV Quatuor Temporum Adventus, summo mane, in honorem B. M. V. et in memoriam Incarnationis Domini.

II Quæ Missa celebretur et quomodo

1) Sumitur Missa votiva in honorem B. M. V., quæ incipit *Rorate;* quæ dici potest, etiamsi Duplex 2 classis occurrat.

2) Dicitur cum *Gloria* et *Credo.*

3) Juxta novissimas Rubricas in Missa, etiam conventuali, facienda est Commemoratio Feriæ Adventus, cujus etiam legitur Evangelium in fine. In Missa non conventuali faciendæ sunt etiam aliæ Commemorationes forte occurrentes.

4) Prohibetur in Duplicibus 1 classis.

5) Quodsi Feria IV Quatuor Temporum occurrerit dies VII infra Octavam Conceptionis immaculatæ B. M. V. aut dies Octava aut aliud Festum ejusdem B. M. V., Missa dicenda est de Octava aut de Festo cum omnibus Commemorationibus forte occurrentibus.

6) Hæc Missa non est adnumeranda Missis votivis sollemnibus pro re gravi et publica simul causa celebratis, sed haberi potest ut mera populi devotio. S. R. C. d. 2417.

III Aliæ Missæ *Rorate*

1) Similibus privilegiis gaudet Missa *Rorate* votiva sollemnis de B. M. V. in Novemdiali ante Festum Nativitatis Domini, ratione consuetudinis et concursus populi, quæ decantari potest cum *Gloria* et *Credo*, etiamsi occurrat Festum S. Thomæ Apostoli vel Dominica III aut IV Adventus; non omissa tamen Missa de die currenti, quæ quidem sollemnius, statuta Hora canonica, de more est decantanda. S. R. C. d. 1093, 2223, 2257, 2259.

2) Item, ubi viget usus (ex. gr. in Polonia), juxta Decr. S. R. C. 2378 ad 7, tolerari potest Missa votiva *Rorate* in honorem B. M.V. cantata toto tempore Adventus, exceptis sollemnioribus Festivitatibus; dummodo cantetur sine *Gloria* (præterquam in Sab-

batis et infra Octavam ejusdem B. M. V.) et sine *Credo*, ac non omissa Missa conventuali.

F Missæ in anniversariis Summi Pontificis et Episcopi [1])

I De utroque anniversario Summi Pontificis

1) Agitur de Missa in die ipsa et anniversaria
   a) Creationis
   b) Coronationis
   } Summi Pontificis.
2) Hæc Missa in Missali assignata et in extenso posita privato modo celebrari nequit.
3) Dicitur autem tantum Romæ in Basilicis et ecclesiis collegiatis in Choro præter Missam de die et aliam conventualem forte dicendam.
4) Quodsi occurrat aliquod Officium Missas votivas (intrinsece) sollemnes impediens, de anniversario fit tantum Commemoratio ita, ut Oratio votiva de anniversario Orationi substantiali Missæ sub unica conclusione addatur, quod vero prohibetur in Festis duplicibus 1 classis primariis Domini Ecclesiæ universalis, præterquam Feriæ II et III Paschatis et Pentecostes, in quibus id permittitur.
5) Quodsi alterutrum anniversarium pro tota Ecclesia in perpetuum a Duplici 1 classis vel a Vigilia Nativitatis aut a Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum impediatur, fixe reponitur in proximiorem diem liberam a Duplici 1 classis.

[1]) Cfr. tit. II, num. 4—6 nov. Rubr. pag. 21.

II De utroque anniversario Episcopi

1) Agitur de Missa in Episcopi anniversario
   a) Electionis, vel Translationis, si Episcopus ex alia Sede translatus fuerit,
   b) Consecrationis.
2) Hæc Missa item privato modo celebrari nequit.
3) Celebranda est autem, accedente Episcopi mandato, in ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis Diœcesis, in Choro, præter Missam de die vel aliam conventualiter dicendam, dummodo non occurrat Officium aliquod Missas votivas (intrinsece) sollemnes impediens; quo in casu de die anniversario fit tantum Commemoratio ita, ut Oratio votiva de anniversario Orationi substantiali Missæ sub unica conclusione addatur, quod vero prohibetur in Duplicibus 1 classis primariis Domini universalis Ecclesiæ, præterquam Feriæ II et III Paschatis et Pentecostes, in quibus id permittitur.
4) Quodsi vero alterutrum anniversarium Episcopi pro tota Diœcesi in perpetuum a Duplici 1 classis vel a Vigilia Nativitatis aut a Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum impediatur aut eadem die occurrat cum alterutro anniversario Summi Pontificis, fixe reponitur in proximiorem diem liberam a Duplici 1 classis.

III Annotationes

1) Oratio pro Papa in ejus anniversariis etiam in Duplicibus 2 classis addenda est post Orationes a Rubricis præscriptas. Decr. S. R. C. 2837 ad 8, juxta quod Oratio sub unica conclusione addenda erat, videtur abrogatum.

2) Ubi hujusmodi anniversaria Summi Pontificis vel Episcopi pro particulari tantummodo ecclesia in perpetuum a Duplici I classis impediantur, non reponi videntur oportere, sed omitti.
3) Anniversarium consecrationis Episcopi juxta Decr. S. R. C. 2815 ad 1 computandum est a die fixo mensis.
4) Juxta Decr. S. R. C. 4254 anniversarium electionis seu translationis Episcopi quoad Episcopos in Consistorio electos seu translatos computandum est a die publicationis Consistorialis; quoad ceteros vero Episcopos antea electos seu translatos, non a die enuntiationis in Consistorio, sed a die expeditionis Decretorum seu Litterarum Apostolicarum ad electionem seu translationem pertinentium computandum est; tandem dies anniversarius electionis seu translationis Episcopi Coadjutoris cum futura successione, cessante Coadjuti munere et adveniente Coadjutoris successione, item a die expeditionis Decretorum seu Litterarum Apostolicarum, quibus nominatus fuit Coadjutor cum futura successione, computandus est.
5) Juxta Decretum S. R. C. 4258 celebrandum est, si sedes Cathedralis ad archiepiscopatum evehitur, et, qui Episcopus erat, evehitur ad dignitatem archiepiscopalem, anniversarium evectionis ad archiepiscopatum.
6) Nota bene discrimen quoad locum Orationis de anniversario utriusque Præsulis utroque:
   a) si loco Missæ votivæ de anniversario dicenda sit Missa diei currentis, Commemoratio Missæ votivæ, si additur,

additur sub unica conclusione cum Oratione substantiali;

b) in omnibus Missis non-conventualibus, in quibus addenda est Oratio de anniversario, additur post Orationes a Rubricis præscriptas. Cfr. infra pag. 269.

G Missa votiva in ipsa die Dedicationis ecclesiæ [1])

I Prænotanda

1) Ecclesiarum consecratio, quamvis quolibet die fieri possit, decentius tamen diebus Dominicis aliisve Festis de præcepto peragitur. CJC. c. 1166 § 1.

2) Ex rationibus liturgicis conveniens est, ut, nisi causæ graves aliud suadeant, pro consecratione seligantur dies, in quibus post Primam de Officio diei adhuc recitatam, dici possint sequentes Horæ de Dedicatione, itemque, in quibus possit, Consecratione peracta, integra Missa de Dedicatione celebrari. Quare ex rationibus liturgicis minus conveniens videtur Dedicatio ecclesiæ in Feria IV Cinerum, in Dominica Palmarum, infra Majorem Hebdomadam, in Dominica Resurrectionis, in Festo Corporis Christi, in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, quamvis per jus canonicum etiam illis diebus liceat.

3) In ipsa Dedicationis die a Clero ecclesiæ dedicandæ dicuntur Horæ canonicæ de Officio currenti usque ad Primam inclusive; peracta Consecratione vero cessat istud Officium omnino et ab Hora Tertia

[1]) Cfr. tit. II, num. 7 nov. Rubr. pag. 22.

dicitur Officium Dedicationis ecclesiæ, nisi Officium occurrens sit nobilius, uti ex regulis præcedentiæ (Tit. II nov. Rubric. Breviarii: De Festorum præstantia) et ex tabella occurrentiæ videri potest.

II Quomodo et quando celebretur Missa de Dedicatione

1) Etsi Officium Dedicationis ab Officio nobiliori impediatur, celebratur in ipsa die Dedicationis Missa de Dedicatione aut ab Episcopo consecrante aut ab alio ad modum Missæ votivæ (intrinsece) sollemnis pro re gravi:
   a) Dicitur *Gloria in excelsis.*
   b) Per se dicitur unica Oratio; at vero faciendæ sunt Commemorationes, quæ Missis votivis sollemnibus conveniant.
   c) Orationi Dedicationis *(Deus, qui invisibiliter)* sub unica conclusione additur Oratio Mysterii vel Sancti, in cujus honorem ecclesia dedicatur.
   d) Dicitur *Credo.*
   e) Præfatio dicitur juxta regulas infra [1]) accuratius describendas.
   f) Evangelium in fine S. Joannis, nisi Commemoratio facta aliud requirat.
2) Hæc tamen Missa de Dedicatione prohibetur in
   a) Dominica Palmarum
   b) in Duplicibus 1 classis primariis Domini universalis Ecclesiæ.
3) Quando Missa integra de Dedicatione prohibetur, in Missa diei currentis additur ejus Oratio et Oratio Titularis Ecclesiæ Orationi Missæ substantiali sub unica conclusione.

[1]) pag. 299.

H Missa Dedicationis in sollemni consecratione altaris [1])

I Prænotanda

1) Altaria distinguuntur juxta CJC. 1197 § 1.
   a) in immobilia seu fixa,
   b) in mobilia seu portatilia.
2) In ecclesia consecrata saltem unum altare, præsertim majus, debet esse immobile; in ecclesia autem benedicta omnia altaria possunt esse mobilia. Can. 1197 § 2.
3) Ut Missæ sacrificium super illud celebrari possit, altare debet esse, secundum leges liturgicas, consecratum; idest vel totum, si agatur de immobili, vel ara tantum portatilis, si de mobili. Can. 1199 § 1.
4) Altare consecrari potest etiam sine ecclesiæ consecratione; sed una simul cum ecclesia debet saltem altare majus consecrari aut altare secundarium, si majus jam sit consecratum. Can. 1165 § 5.
5) Consecratio altaris immobilis, quæ fit sine ecclesiæ Dedicatione, quamvis omni die fieri possit, magis tamen decet, ut fiat die Dominico aliove Festo de præcepto. Can. 1199 § 3.
6) Sicut ecclesia, ita quodlibet etiam ecclesiæ altare, saltem immobile, proprium sibi Titulum habeat. Can. 1201 § 1.
7) Titulus primarius altaris majoris idem esse debet ac Titulus ecclesiæ. Can. 1201 § 2.

II De Missa in sollemni consecratione altaris

1) Altaris consecratione peracta in altari consecrato, aut si plures fuerint conse-

---

[1]) Cfr. tit. II, num. 8 nov. Rubr. pag. 23.

crati, in uno ex iis dicitur Missa de Dedicatione, et quidem si Altare fixum sollemniter sit consecratum, cum extrinseca sollemnitate; in consecratione portatilium Missa legi poterit.

2) In hac Missa sumenda est Oratio propria in Missali proposita, cui, si agatur de consecratione altaris immobilis seu fixi, additur sub unica conclusione Oratio illius Mysterii vel Sancti, in cujus honorem altare dedicatur.

3) Hæc Missa celebrari nequit omnibus diebus, in quibus prohibita est Missa votiva sollemnis pro re gravi.[1])

I Missa in benedictione primarii lapidis vel in benedictione sollemni alicujus ecclesiæ[2])

I Prænotanda:

1) Benedicere et imponere primarium ecclesiæ lapidem ad eos spectat, de quibus in Can. 1156. CJC. c. 1163.

2) Can. 1156: Jus benedicendi locum sacrum, si hic pertineat ad clerum sæcularem vel ad religionem non exemptam, vel ad laicalem, spectat ad Ordinarium territorii, in quo locus reperitur; si ad religionem clericalem exemptam, ad Superiorem majorem; uterque vero potest alium sacerdotem ad hoc delegare.

3) Divina Officia in ecclesia celebrari nequeunt, antequam ea vel sollemni consecratione vel saltem benedictione divino cultui fuerit dedicata. Can. 1165 § 1.

[1]) Vide supra pag. 128. [2]) Cfr. tit. II, num. 9 nov. Rubr. pag. 23.

II Quæ Missa dicenda sit

1) In benedictione primarii lapidis vel in benedictione sollemni alicujus ecclesiæ, dicitur Missa de Mysterio vel Sancto, in cujus honorem ecclesia fundatur vel benedicitur.

2) Prohibetur tamen, si occurrat dies Missas votivas sollemnes pro re gravi excludens.[1]) Hoc in casu in Missa diei additur Orationi substantiali Missæ Oratio Mysterii vel Sancti.

K Missa votiva de Ssmo Corde Jesu

I. Hæc Missa celebrari potest prima Feria VI cujusvis mensis in ecclesiis et oratoriis, ubi peculiaria exercitia pietatis in honorem divini Cordis mane, approbante Ordinario, peraguntur.

Potest, etiamsi hæc peculiaria exercitia non peragantur, celebrari a sacerdotibus, qui sodales sunt piæ unionis sacerdotalis, cui titulus est: Associatio perseverantiæ sacerdotalis, et aliarum forte similium, juxta privilegia specialia a S. Sede concessa.

II. Hæc Missa celebratur sive cum sive sine cantu; attamen facienda est Commemoratio Rogationum, si occurrant, item Feriæ majoris non privilegiatæ, cujus in fine dicitur etiam Evangelium; denique Duplicis 2 classis, cujus Evangelium stricte proprium, si habeatur, in fine Missæ legendum est, si aliud non est dicendum, juxta Rubricas; secus unica Oratio. Dicitur *Gloria in excelsis* et *Credo*.

[1]) Vide supra pag. 128.

III. Hæc Missa prohibetur
1) in Festis Christi[1]) Domini,
2) in Festo Purificationis B. M. V.[2])
3) in Duplicibus 1 classis,
4) in Vigilia Epiphaniæ,
5) Feria VI in Parasceve,
6) infra Octavas privilegiatas Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes[3]) et Corporis Christi,
7) infra Octavas Festorum Christi Domini, si de eis fiat Officium,
8) in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum,
9) diebus festivis, etiam suppressis, in ecclesiis parochialibus, unam tantum Missam habentibus.
10) in ecclesiis unam tantum Missam habentibus in diebus Litaniarum, tam majorum quam minorum, si fiat Processio.

L Missa votiva pro Sponsis[4])

I Prænotanda

A De Tempore clauso

1) Pro contrahendo matrimonio tempus clausum non habetur, quia juxta CJC.

---

[1]) Cf. Decr. S. R. C. d. d. 2 Junii 1916 ad 1.

[2]) Est nempe etiam Festum Christi Domini (Præsentatio pueri Jesu in templo); insuper hac die prohibetur quælibet Missa votiva, etiam sollemnis, de Christo Domino. (Cfr. Rubricam specialem die 2 Februarii.)

[3]) Etsi per se infra Octavam Pentecostes esset licita, quia agitur de diversa Persona, tamen prohibita est Missa, quia est Octava privilegiata. Nimis ampla interpretatio, quam Decr. d. d. 2 Junii 1916 apud quosdam auctores invenit, sustineri nequit.

[4]) Cfr. tit. II. num. 3 nov. Rubr. pag. 17—18.

can. 1108 § 1 „matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest." At vero decet, nisi urget necessitas vel graves causæ aliud suadeant, ut Feria IV Cinerum, Feria VI in Parascève, in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum contractio matrimonii evitetur, selecta alia die magis convenienti.

2) Tempus clausum habetur tantum pro Benedictione nuptiarum sollemni, quæ vetatur juxta can. 1108 § 2
   a) a Dominica I Adventus usque ad diem Nativitatis inclusive,
   b) a Feria IV Cinerum usque ad Dominicam Paschæ inclusive.

B De Benedictione nuptiali

Benedictio nuptialis proprie continetur Orationibus *Propitiare, Domine* et *Deus, qui potestate, Deus Abraham.* Quoad eam sequentia notatu digna sunt:

I Ratione circumstantiarum:

1) Benedictio nuptialis numquam extra Missam, sed tantum intra Missam dari potest (CJC. can. 1101 § 1) et quidem
   a) aut in Missa votiva pro Sponsis, aut si hæc prohibetur,
   b) in Missa de die cum Oratione votiva ex Missa pro Sponsis; sed etiam hoc prohibetur
      α) Feria VI in Parasceve,
      β) in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum. Cfr. specialem Rubricam ante Missam votivam pro Sponsis.
2) Dari non potest tempore interdicti: can. 2271 n. 2.
3) Dari non potest in matrimoniis mixtis. Dari nempe potest tantum in Missa (can.

1101 § 1), Missa vero in matrimoniis inter partem catholicam et partem acatholicam contrahendis omnino interdicitur. Can. 1102 § 2.

4) Vetatur tempore clauso sive feriato, supra indicato. Can. 1101 § 1, 1108 § 2. Attamen juxta can. 1108 § 3 Ordinarii locorum possunt, salvis legibus liturgicis, etiam tempore feriato eam permittere ex justa causa, monitis Sponsis, ut a nimia pompa abstineant.
   a) Ex justa causa. Quæ sit justa causa, judicare est penes Ordinarium loci;
   b) monitis Sponsis, ut a nimia pompa abstineant, quæ sane minus conveniens est tempori feriato; hæc monitio erit eo efficacior, si in singulis casibus nomine Episcopi Sponsis intimatur;
   c) salvis legibus liturgicis, nempe ut Benedictio impertiatur tantum intra Missam, et quibusdam diebus, prohibita Missa votiva pro Sponsis, tantum in Missa de die.

II Ratione personarum accipientium:

Impertiri potest tantum sub sequentibus condicionibus:

1) Sponsus et Sponsa (uterque religionis catholicæ) actu sint præsentes, oportet;
2) nisi uterque, aut alteruter alias Benedictionem jam acceperit:
   a) Quodsi ergo matrimonium contrahant viduus et vidua, et uterque Benedictionem jam acceperit in priori matrimonio, non amplius dari potest;
   b) item si matrimonium contrahatur inter viduam et solutum, viduaque antea jam Benedictionem acceperit, non iterum potest eam accipere. Can. 1143.

c) Si matrimonium ineatur inter viduum et solutam viduusque in prioribus nuptiis eam jam acceperit, per se Sponsi eam iterum non possunt accipere. Ubi vero hucusque moris erat, ut in tali casu impertiatur, propter Sponsam, quamvis Sponsus jam acceperit, hæc consuetudo retineri potest.

3) Quodsi vero Sponsi suo tempore, cum matrimonium inirent, Benedictionem nuptialem non acceperint, quamvis jus ad eam habuerint, juxta Can. 1101 § 1 parochus curare debet, ut accipiant; quæ dari eis potest, etiam postquam diu vixerint in matrimonio, sed solum in Missa, servata speciali rubrica et excepto tempore feriato.

4) Animadvertendum est igitur, quod Missa votiva pro Sponsis numquam sit licita, si Benedictio nuptialis ex aliqua ratione prohibetur. Omnino non licet Missam votivam pro Sponsis celebrare et Benedictionem nuptialem omittere.

III Ratione eam dantis:

1) Benedictio nuptialis per se reservatur parocho. Can. 462 n. 4.

2) Sollemnem Benedictionem ille tantum sacerdos per se vel per alium dare potest, qui valide et licite matrimonio potest assistere. Can. 1101 § 2.

IV Ratione ritus:[1]

Quoad ritum hæc observanda sunt:

1) Missa peragitur usque ad *Pater noster*. Responso a ministro *Sed libera nos a*

---

[1] Cf. Schober. De cæremoniis Missæ, p. 262 s.

malo, Sacerdos submissa voce respondet *Amen*, genuflectit et convertit se versus cornu Epistolæ, ne tergum vertat Ssmo Sacramento; ubi conversus ad Sponsos ante altare genuflexos dicit junctis manibus super eos Orationem: *Oremus. Propitiare* et alteram *Oremus. Deus, qui potestate*, ministro prope sinistram ejus Missale sustinente, nisi maluerit alio libro uti. Dum in fine Orationum dicit *Jesum Christum*, versus Ssmum Sacramentum caput inclinat.

2) Quibus completis, Sponsi ad locum suum redibunt, et Sacerdos convertit se ad medium Altaris, genuflectit et dicit *Libera nos, quæsumus* et reliqua more solito.

3) Sacerdos postquam sumpserit Sanguinem, communicet Sponsos et prosequatur Missam.

4) Dicto *Benedicamus Domino*, vel si Missæ illius diei conveniat, *Ite, Missa est*, Sacerdos, antequam dicat *Placeat tibi* conversus ad Sponsos dicit Orationem *Deus Abraham* (sine *Oremus*), ministro librum tenente.

5) Oratione finita moneat Sponsos sermone gravi, ut sibi invicem servent fidem; orationis tempore, et præsertim jejuniorum ac sollemnitatum casti maneant, et vir uxorem atque uxor virum diligat, et in timore Dei permaneant.

6) Postea eos aspergat aqua benedicta cum aspergillo in modum crucis, nihil interim dicens. Deinde tradit aspersorium ministro, revertitur ad altare, dicit *Placeat tibi*, dat benedictionem more solito et legit Evangelium S. Joannis vel aliud, prout Missa exigat.

II Missa votiva pro Sponsis extra tempus clausum pro Benedictione

1) Tempore clauso Benedictio nuptialis ideoque Missa votiva pro Sponsis per se est prohibita, nisi Ordinarius loci ex justa causa aliter statuerit.
2) Sed etiam extra Tempus clausum Missa votiva pro Sponsis est prohibita, et quidem:
   a) quoties Benedictio nuptialis ex rationibus supra allatis dari non potest;
   b) præterea in sequentibus casibus:
      α) in omnibus Dominicis;
      β) in Festis de præcepto, etiam suppressis;
      γ) in Duplicibus 1 et 2 classis;
      δ) infra Octavas privilegiatas 1 et 2 ordinis, nempe Paschæ, Pentecostes, Epiphaniæ, Corporis Christi; et si alicubi concessa sit Octava privilegiata 2 ordinis;
      ε) in Feriis privilegiatis Epiphaniæ et Pentecostes;
      ζ) in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum;
      η) Diebus Rogationum, si fiat Processio, in ecclesiis parochialibus unam tantum Missam habentibus.
3) Supposito, quod Sponsis Benedictio nuptialis legitime dari possit, Missa votiva pro Sponsis permittitur in diebus ferialibus extra tempus clausum, si occurrerit in eis
   a) dies Octava Ascensionis Domini,
   b) dies Octava communis,
   c) Festum duplex majus,
   d) Festum duplex minus,
   e) Festum semiduplex,

   } etiam infra Octavas privilegiatas 3 ordinis, nempe Nativitatis et Ascensionis,

f) dies infra Octavam communem vel privilegiatam 3 ordinis,
g) Feria VI post Octavam Ascensionis,
h) Feria II Rogationum, (excepto casu, de quo supra b η) aut Feria Quatuor Temporum mensis Septembris;
i) Vigilia communis,
k) dies Octava simplex,
l) Officium S. Mariæ in Sabbato,
m) Festum simplex,
n) Feria minor per annum et Tempore Paschali (excepto casu Rogationum, de quo supra b η).

4) Quoad ritum notanda sunt, quod Missa votiva pro Sponsis semper sit ritus simplicis, etiamsi cum cantu vel sollemniter celebretur.
a) Numquam dicitur *Gloria*;
b) item numquam dicitur *Credo*, etiamsi alicui Commemorationi conveniret;
c) *Benedicamus Domino*;
d) ultimum Evangelium S. Joannis, nisi aliqua Commemoratio aliter postulet.
e) Orationes dicuntur tres:
α) prima de Missa votiva,
β) secunda de Officio diei commemorato,
γ) tertia de Tempore; quæ omittitur, si Commemoratio facta sit Duplicis.

Collecta per se non omittitur, nisi in casu, quo esset Oratio quinta.

III Missa votiva pro Sponsis tempore clauso

1) Quoties Sponsis ab Ordinario loci justa ex causa Benedictio nuptialis tempore clauso permissa fuerit, per se permittitur etiam Missa votiva pro Sponsis.

2) Prohibetur tamen etiam tempore clauso
   a) in Dominicis,
   b) in Festis de præcepto, etiam suppressis,
   c) in Duplicibus 1 et 2 classis,
   d) in Feriis privilegiatis,
      α) Feria IV Cinerum,
      β) Feria II, III, IV Majoris Hebdomadæ.
3) Missa votiva pro Sponsis permittitur in diebus ferialibus tempore clauso occurrentibus, in quibus Officium fuerit
   a) de die Octava communi,
   b) de Festo duplici majori,
   c) de Festo duplici minori,
   d) de Festo semiduplici,
   e) de die infra Octavam communem,
   f) de Feria majori non privilegiata.
4) Quoad ritum eadem valent ut supra II. 4.
5) Quodsi Nuptiæ tempore clauso contractæ fuerint, non obtenta ab Ordinario loci venia Benedictionis nuptialis, Missa cum propria Benedictione differtur ad diem, quo Missa pro Sponsis vel ejus Commemoratio permittitur.

IV Commemoratio pro Sponsis et Benedictio nuptialis in Missa de die, tam extra quam intra tempus clausum

1) Quotiescumque Missa votiva pro Sponsis tam intra quam extra tempus clausum sit prohibita, Sponsi vero legitime Benedictionem nuptialem accipere possint, celebrari poterit Missa de die in eaque, addita Oratione ex Missa votiva, Benedictio nuptialis datur.
2) Quoad ritum hæc notanda:
   a) Missa de die dicitur, sicuti alias etiam diceretur.

b) Orationi substantiali Missæ sub **unica** conclusione additur Oratio ex Missa votiva pro Sponsis. Antea hæc Oratio addenda erat semper sub distincta conclusione.

IX De Missis votivis privatis

A Prænotanda

I Notio Missæ votivæ privatæ

1) Missa votiva privata est illa, quæ celebratur
   a) pro re, quæ quidem gravis esse potest, sed non debet;
   b) ex causa non publica, sed privata, attamen rationabili;
   c) ex speciali devotione aut desiderio
      α) Sacerdotis Missam celebrantis,
      β) aut fidelis eam petentis.

2) Notanda:
   a) Quodsi dicitur talis Missa privata, hoc non est intelligendum in opposito cum publica seu communi, ac si tantum ex causa non publica seu communi, et tantum pro re mere privata dici possit; nam non raro pro re gravi et publica celebranda erit; sensus vero est, quod in Missa privata unum momentum deest, necessario requisitum in Missa votiva sollemni, nempe mandatum vel saltem consensus pro qualibet vice obtinendus ab auctoritate ecclesiastica; ergo si causa, ex qua celebratur Missa votiva, esset etiam omnino gravis, Missa tamen manet privata et regulis Missæ votivæ privatæ subjacet, si deest mandatum vel con-

sensus Ordinarii, eaque celebratur ex speciali devotione Sacerdotis celebrantis aut ex desiderio vel petitione alicujus fidelis, quin etiam totius communitatis.

b) Ex altera parte juxta Rubricas generales (tit. IV. n. 3) et ad eas novas Additiones (tit. II. n. 1) omnino requiritur, ut causa sit saltem rationabilis. Unde, ait Merati,[1]) non sufficit pro causa ad passim Missas votivas celebrandas, ut Sacerdos cito se expediat vel alia similis levis occasio.[2]) Verum sine dubio petitio facta a dante eleemosynam alicujus Missæ votivæ erit justa causa illam celebrandi. Necnon probabiliter etiam censet Tamburnius, sufficientem esse causam specialem devotionem erga aliquod Mysterium vel Sanctum; hoc enim faciunt viri timorati sine scrupulo.

II Distinctio Missarum votivarum privatarum

Ratione sollemnitatis extrinsecæ, quacum celebrantur, distinguuntur

1) in Missas votivas privatas sollemnes vel saltem cantatas,
2) in Missas votivas privatas lectas.

III Ritus Missæ votivæ privatæ

Missa votiva privata est ritus simplicis; quare saltem tres in ea dici debent Oratio-

---

[1]) P. I. tit. IV. R. 3. n. 12. [2]) Ex. gr. si in Festo nec Virg. nec Mart. (semidupl.) quis Sacerdos mere ob hanc rationem, ut evitet longam Epistolam *Mulierem*, celebret Missam votivam in hon. B. M. V., quia tam Epistola quam Evangelium hujus Missæ sunt brevissima, non videtur esse rationabilis causa.

nes, possunt vero dici plures usque ad quinque vel septem. Quoad *Gloria in excelsis, Credo*, Præfationem, colorem Paramentorum vide infra regulas speciales.

B De Missis votivis privatis lectis[1])

I Missæ votivæ privatæ lectæ prohibentur:

1) in omnibus Officiis duplicibus;
2) in Dominicis, licet anticipatis vel, etiam quoad Offĭcium, repositis;
3) infra Octavas privilegiatas:
   a) Nativitatis,
   b) Epiphaniæ,
   c) Paschæ,
   d) Ascensionis,
   e) Pentecostes,
   f) Corporis Christi,
   g) alicubi forte privilegiatas Octavas, alias communes;
4) in Feriis Quatuor Temporum;
5) in Feriis Adventus a die 17 ad 23 Decembris inclusive;
6) in Feriis Quadragesimæ a Feria IV Cinerum usque ad Feriam IV Majoris Hebdomadæ inclusive;
7) in Feria II Rogationum;
8) in Vigiliis, etiamsi de eis Commemoratio tantum facta fuerit in Officio;
9) in diebus Octavis simplicibus, etiamsi de eis Commemoratio tantum facta fuerit in Officio;
10) in diebus infra hebdomadam, in quibus primo reponenda sit Missa Dominicæ præcedentis impeditæ;

[1]) Cfr. tit. II, num. 1 nov. Rubr. pag. 16—17.

11) in Feria III Rogationum in ecclesiis unam tantum Missam habentibus, si fiat Processio.

II Missæ votivæ privatæ lectæ permittuntur:

1) in omnibus Festis semiduplicibus, dummodo non facta sit Commemoratio Vigiliæ aut diei Octavæ simplicis,
2) in diebus infra Octavas communes, dummodo non facta sit Commemoratio diei Octavæ simplicis,
3) in Feria VI post Octavam Ascensionis,
4) in Festo simplici,
5) in Feriis Adventus usque ad diem 16 Decembris occurrentibus, exceptis Feriis Quatuor Temporum,
6) in Officio de S. Maria in Sabbato,
7) in Feriis communibus per annum et Tempore Paschali, excepta Feria III Rogationum in ecclesiis unam tantum Missam habentibus, si fiat Processio.

C De Missis votivis privatis cantatis [1])

I Missæ votivæ privatæ cantatæ prohibentur:

1) in omnibus Officiis duplicibus,
2) in Dominicis, licet anticipatis vel, etiam quoad Officium, repositis,
3) in Feriis privilegiatis, nempe
   a) Feria IV Cinerum,
   b) Feriis II, III, IV Majoris Hebdomadæ,
4) in Vigiliis privilegiatis, nempe
   a) Nativitatis,
   b) Epiphaniæ,
   c) Pentecostes,

[1]) Cfr. tit. II, num. 10 nov. Rubr. pag. 23.

5) infra Octavas privilegiatas
   a) Nativitatis,
   b) Epiphaniæ,
   c) Paschæ,
   d) Ascensionis,
   e) Pentecostes,
   f) Corporis Christi,
   g) alicubi forte privilegiatas Octavas, alias communes,
6) in Feriis Rogationum, in ecclesiis unam tantum Missam habentibus, si fiat Processio.

II Missæ votivæ privatæ cantatæ permittuntur

1) in omnibus Festis semiduplicibus,
2) diebus infra Octavam communem,
3) in Feriis Adventus,
4) in Feriis Quadragesimæ a Feria V post Cineres usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis inclusive,
5) in Feriis Temporis Paschalis, exceptis Feriis Rogationum, ut supra I, 6.
6) Feria VI post Octavam Ascensionis,
7) in Feriis Quatuor Temporum mensis Septembris,
8) in Vigiliis communibus,
9) in diebus Octavis simplicibus,
10) in Officio S. Mariæ in Sabbato,
11) in Festis simplicibus,
12) in diebus, in quibus primo resumenda est Missa Dominicæ præcedentis impedita,
13) in Feriis minoribus per annum.

X De Missis Defunctorum

A Prænotanda

I Quid sint.

Missæ Defunctorum per se sunt Missæ votivæ, quia celebrantur

1) ex voto vel voluntate
   a) celebrantis Sacerdotis, aut
   b) Superioris ecclesiastici aut
   c) fidelis petentis,
2) extra ordinem Officii.

Celebrantur in paramentis nigris, nisi quibusdam casibus dicantur coram Ssmo Sacramento exposito in colore violaceo.

II Quomodo distinguantur

1) ratione sollemnitatis extrinsecæ, quacum celebrantur,
   a) in sollemnes, si fiant cum assistentia Ministrorum sacrorum, cum cantu, incensatione,
   b) in cantatas, si dicantur cum cantu, sed sine Ministris sacris,
   c) in privatas sive lectas, sine cantu, sine Ministris sacris, sine incensatione;
2) ratione sollemnitatis intrinsecæ,
   a) in privilegiatas, i. e. tales quæ habent ritum Duplicis et etiam in Duplicibus celebrari poterunt,
   b) in non privilegiatas, quæ habent ritum Simplicis et permittuntur diebus, quibus Missæ votivæ privatæ lectæ licitæ sunt;
3) ratione obligationis publicæ, quacum celebrantur,
   a) in publicas (conventuales),
   b) in privatas (non conventuales);

4) ratione occasionis, qua celebrantur, in
   a) dicendas die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum,
   b) dicendas die obitus seu depositionis,
   c) dicendas in die III, VII, XXX post obitum vel depositionem,
   d) dicendas in anniversariis,
   e) Missas quotidianas Defunctorum,
      α) dicendas conventualiter diebus a Rubricis præscriptis vel permissis,
      β) dicendas privatim, quando per Rubricas licet.

B Missæ in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum [1])

In Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum tres Missæ pro Defunctis permissæ sunt.

Jam ante plura sæcula in regno Aragoniæ, consuetudine paulatim inducta, die sollemnis Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum Sacerdotes sæculares sacrum bis peregerunt, ter vero regulares; quod privilegium Benedictus XIV non modo, justis de causis, confirmavit, verum etiam, rogatu Ferdinandi VI, Hispaniarum Regis catholici, itemque Joannis V, Lusitaniæ regis, Litteris Apostolicis, die 26 Augusti 1748 datis, ita produxit, ut cuilibet sacerdoti e regionibus utrique Principi subjectis facultatem faceret, ter eadem in sollemni Commemoratione litandi. Benedictus vero XV hoc privilegium Constitutione Apostolica *Incruentum altaris sacrificium* d. d. 10 Augusti 1915 ad universam extendit Ecclesiam. Quoad has tres Missas sequentia notanda sunt:

---

[1]) Cfr. tit. III, num. 1 nov. Rubr. pag. 25.

I Unam e tribus Missis potest Sacerdos cuicumque maluerit applicare et inde stipem percipere; alteram tenetur, nulla stipe percepta, applicare in suffragium Omnium Fidelium Defunctorum, tertiam ad mentem Summi Pontificis. Circa hoc Constitutionis Apostolicæ statutum S. C. C. plura dubia solvit Decr. d. d. 15 Oct. 1915:

1) Sacerdos potest eam Missam, quæ magis ei placet, applicare ad intentionem stipem offerentis. Ceteras duas Missas debet applicare, nulla stipe percepta, unam pro Omnibus Fidelibus Defunctis, alteram ad mentem Summi Pontificis.

2) Pro ea Missa, quam Sacerdos applicat ad intentionem stipem offerentis, non potest majorem eleemosynam exigere, sed contentus esse debet eleemosyna ex constitutione synodali vel consuetudine locali statuta, excepto vero casu ultroneæ oblationis, vetita tamen non solum petitione, sed etiam quacumque insinuatione, ut eleemosyna major ordinariâ a fidelibus offeratur.

3) Pro aliis Missis, quas sacerdos illa die celebrat pro Omnibus Fidelibus Defunctis et ad mentem Pontificis, nullo modo potest Sacerdos aliquid accipere ratione laboris seu incommodi extrinseci, puta si ad aliorum commodum illas celebrare debeat hora vel loco satis incommodo, puta in aurora vel circa meridiem, in ecclesia vel oratorio rurali aut cœmeterii.

4) Etiam remoto quovis lucri motivo, Sacerdos potest nullo modo alias duas Missas illa die pro suo arbitrio applicare et stipem percipere, et insequen-

tibus diebus applicare per se vel per alium duas Missas, unam pro Fidelibus Defunctis, alteram ad mentem Pontificis.

5) Episcopus potest pœnam suspensionis, etiam latæ sententiæ, et non faciendi suum stipendium irrogare in eos, qui contra præcedens statutum 4. agerent.

II Quod jam Clemens XIII concessit, ut omnia altaria in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum essent privilegiata, auctoritate Summi Pontificis iterum confirmatum est.

III Missæ celebrandæ sunt, sicuti in novo Missali apponuntur. Qui unam tantummodo Missam celebrat, primam legat; eamdem Missam adhibeat, qui Missam cum cantu celebrat; facta ei potestate anticipandæ secundæ ac tertiæ.

IV Sicubi acciderit, ut augustissimum Sacramentum sit expositum pro Oratione XL Horarum, Missæ Defunctorum

1) celebrentur cum vestibus coloris violacei,

2) neve celebrentur ad altare expositionis.

C De Missis conventualibus de Requie in Feriis quibusdam minoribus

I Prima die mensis libera [1])

1) Prima die cujusvis mensis

a) extra Adventum, Quadragesimam, Tempus Paschale et mensem Novembrem, in quo Omnium Fidelium Defunctorum Commemorationem celebrat Ecclesia,

b) in qua Officium fiat de Feria,

[1]) Cfr. tit. III, num. 2 nov. Rubr. pag. 25.

2) in ecclesiis omnibus, in quibus adest obligatio Chori,
3) in Choro,
4) loco Missæ de Officio diei,
5) dicitur Missa conventualis de Requie pro defunctis Sacerdotibus, benefactoribus et aliis.
6) Quodsi vero prima die mensis libera,
   a) occurrat
      α) Feria Quatuor Temporum Septembris[1]) aut
      β) aliqua Vigilia,
   b) aut primo resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis impedita,
7) præfata Missa conventualis pro Defunctis dicatur insequenti prima die libera similiter non impedita.[2])

---

[1]) In Kalendario Ecclesiæ universalis Feriæ Quatuor Temporum mensis Septembris semper occurrunt in diebus duplicibus aut semiduplicibus, ideoque duplex habetur impedimentum talis Missæ conventualis de Requie; in Kalendario Ordinis S. Benedicti vero casus accidere possunt.

[2]) Hoc ultimo præscripto Rubricæ novæ (tit. III. n. 2) derogatur præscriptio Rubricæ generalis (tit. V. n. 1) poscentis, ut, si in prima die mensis (extra Adventum, Quadragesimam et Tempus Paschale) non impedita Officio duplici vel semiduplici fuerit Festum simplex vel Feria, quæ propriam habeat Missam, aut resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis impedita, et infra hebdomadam non occurrat alius dies, in quo resumi possit; in ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis duæ dicantur Missæ, una pro Defunctis, alia de Festo simplici vel Feria prædicta. Hæc derogatio significat aliquam mitigationem, cum in posterum non sint amplius in casu dicendæ duæ Missæ conventuales et, si in illo mense dies libera non occurrat, Missa pro Defunctis sit omittenda.

II Feria II cujuslibet hebdomadæ [1])

1) Feria II cujuslibet hebdomadæ,
   a) extra Quadragesimam et Tempus Paschale,
   b) in qua Officium fiat de Feria,
   c) dummodo,
      α) non occurrat aliqua Vigilia,
      β) aut primo resumenda non sit Missa Dominicæ præcedentis impedita,
2) in Choro,
3) loco Missæ conventualis,
   a) de Feria currenti,
   b) vel votivæ de Ssma Trinitate,
4) dici potest Missa conventualis de Requie pro defunctis Sacerdotibus, benefactoribus et aliis.

III Pro hac Missa conventuali in utroque casu sumitur formulare de Missis quotidianis, prouti jacet, cum tribus Orationibus ibi positis, et cum Sequentia *Dies iræ*.

D De Missa exsequiali [2])

A Prænotanda

Juxta novam Rubricam (tit. III. n. 4) in ecclesia, in qua agitur exsequiale funus alicujus Defuncti, etiam absente rationabilem ob causam vel sepulto jam cadavere, permittitur unica Missa sollemnis, vel etiam, pro pauperibus, lecta pro die obitus.

Expendendæ sunt imprimis circumstantiæ, de quibus sermo in Rubrica.

I Numerus Missæ exsequialis

Permittitur unica Missa sollemnis, saltem in Officio duplici; ideoque altera, immo tertia

---

[1]) Cfr. tit. III, num. 3 nov. Rubr. pag. 27.
[2]) Cfr. tit. III. num. 4 nov. Rubr. pag. 28.

in Officio duplici omnino prohibetur pro uno Defuncto, sive celebrentur in una eademque ecclesia, in qua funus exsequiale Defuncti agitur, sive in diversa.

Hoc valet omnino etiam in iis Diœcesibus, quibus ab Apostolica Sede indultum est, ut in singulis ecclesiis ad implenda onera tam fixa quam adventicia Missarum de Requie, quibus quælibet Diœcesis ecclesia gravatur, Missæ de Requie celebrari valeant, occurrente licet Duplici majori vel minori. S. R. C. d. 4118; 2915 ad 11.

Diebus, quibus Missæ quotidianæ cum cantu permittuntur juxta Rubricas, plures Missæ cantatæ de die obitus permittuntur.

II Ritus Missæ exsequialis

Permittitur unica Missa sollemnis; aut saltem cum cantu celebrata, in Officio duplici.

Pro paupere, cujus familia impar est solvendo expensas Missæ exsequialis cum cantu, conceditur Missa lecta, quæ iisdem privilegiis gaudet ac sollemnis vel cantata: quæ ergo tunc tantum prohibetur, quando sollemnis, et tunc permittitur, quando sollemnis, et tunc transferri potest, quando sollemnem transferre licet.

Abusus vero omnino tollendus, quia directe contra Rubricas, est mos, qui quibusdam in regionibus invaluit, etiam pro non pauperibus Missam celebrare in funere exsequiali lectam, hac tantum ratione, quia Missa lecta citius absolvitur quam sollemnis vel cantata.

III Tempus Missæ exsequialis

Tempus, quo Missa exsequialis unica sollemnis, vel, pro pauperibus etiam lecta, hucusque permittebatur, erat ab obitu usque

ad secundam diem post depositionem inclusive. Gravibus vero permota rationibus, immani bello præsertim insinuatis, S. R. C. a certo tempore pro Missa exsequiali determinando abstinendum esse censuit, ita ut in posterum Missa exsequialis celebrari rite valeat, etiam longo tempore post obitum vel depositionem elapso.

IV Locus Missæ exsequialis

Quoad locum dicit Rubrica, quod Missa exsequialis celebranda sit in ecclesia, in qua agitur exsequiale funus defuncti, quo nomine intelliguntur Officium Defunctorum, Absolutio ad tumbam, etc.

Hæc ecclesia funeris est juxta CJC. c. 1216 § 1 ex jure ordinario ecclesia propriæ defuncti parœciæ, nisi defunctus aliam ecclesiam legitime elegerit.

Si defunctus plures habuerit parœcias proprias, ecclesia funeris est ecclesia parœciæ, in cujus territorio decessit. Can. 1216 § 2.

In dubio de jure alius ecclesiæ jus propriæ ecclesiæ parochialis semper prævalere debet. Can. 1217; cfr. 1218 seq.

V Etiam absente rationabilem ob causam cadavere

1) Maxime desiderat Ecclesia, ut Missa, et quidem *de Requie* celebretur præsente Defuncti cadavere.

a) Quare in Rituali Romano (tit. VI. cap. I n. 4) dicitur: „Quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri poterit, retineatur, ut Missa, præsente corpore Defuncti pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur."

b) In Codice juris canonici can. 1215 sic habetur: „Nisi gravis causa obstet, cadavera fidelium, antequam tumulentur,

transferenda sunt e loco, in quo reperiuntur, in ecclesiam, ubi funus, idest totus ordo exsequiarum, quæ in probatis liturgicis libris describuntur, persolvatur."

2) Quodsi vero causa — juxta Rubricam *rationabilis*, juxta Codicem *gravis* — obstet, Missa exsequialis celebrari poterit etiam absente, immo sepulto jam cadavere. Quænam causæ tales esse possint, S. R. C. declaravit Decreto 3755:
   a) civile vetitum,[1])
   b) morbus contagiosus,
   c) alia gravis causa, quæ potest esse
      α) causa physica: si corpus defuncti omnino non potest amplius esse præsens, quia ex. gr. naufragio in mari demersum, aut lapidum arenæve vel telorum explosione obrutum aut penitus absorptum fuerit,
      β) causa liturgica: si nempe corpus non potest tamdiu remanere inhumatum, usque dum dies Missam exsequialem impedientes, ex. gr. in Triduo sacro Majoris Hebdomadæ, præterierint.

3) Juxta decisionem Pontificiæ Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos d. d. 16 Oct. 1919 (Acta Ap. Sedis 1919, num. 15, pag. 479) periculum of-

---

[1]) Attamen in hoc casu, juxta Decr. S. R. C. d. d. 28 Febr. 1920 (Acta Ap. Sed. pag. 128) servandum, quantum fieri potest, Rituale Romanum et can. 1215 Cod. jur. can. Insuper familia Defuncti certior facienda est, funus cum Missa exsequiali peragi posse etiam præsente *moraliter* cadavere, juxta Rubricas et Decreta. Pro casibus autem extraordinariis dabitur Instructio S. R. C.

fensionis, vulgo *malumore*, ex parte fidelium et cleri non est, ad normam canonis 1215, gravis causa, quæ excuset a transferendis cadaveribus fidelium e loco, in quo reperiuntur, ad ecclesiam, ubi funus persolvatur; immo consuetudo non transferendi cadavera fidelium, antequam tumulentur, e loco, in quo reperiuntur, in ecclesiam, est reprobanda.[1])

B Missa exsequialis prohibetur:

I In Duplicibus I classis primariis universalis Ecclesiæ, exceptis Feriis II et III post Pascha et Pentecosten, in quibus permittitur; ergo

1) in Nativitate Domini,
2) in Epiphania,
3) Feria V in Cœna Domini,
4) Feria VI in Parasceve,
5) Sabbato sancto,
6) in Dominica Resurrectionis,
7) in Ascensione Domini,
8) in Dominica Pentecostes,
9) in Festo Ssmæ Trinitatis,
10) in Festo Corporis Christi,
11) in Conceptione immaculata B. M. V.,
12) in Annuntiatione B. M. V.,
13) in Assumptione B. M. V.,
14) in Festo S. Michaelis Archangeli, 29 Sept.,
15) in Festo Nativitatis S. Joannis Baptistæ,
16) in Festo S. Joseph, 19 Martii,
17) in Sollemnitate S. Joseph, Feria IV post Dom. II post Pascha,
18) in Festo Ss. Petri et Pauli App.,
19) in Festo Omnium Sanctorum.

Quodsi vero alicubi aliquod horum Festorum non in ipsa die celebratur, sed sollem-

[1]) Supposito sane semper, quod non causa vere gravis excuset.

nitas externa transferatur in Dominicam sequentem, tunc in Dominica Missa exsequialis prohibetur, ipsa die vero permittitur.

II In sequentibus Festis:

1) In Festo Dedicationis ipsius ecclesiæ, in qua funus agi deberet, et quidem

a) in ipsa die Dedicationis ecclesiæ,

b) in anniversario Dedicationis.

In Dedicatione Ecclesiæ Cathedralis ergo tantum in Ecclesia Cathedrali Missa exsequialis prohibetur, in ceteris vero ecclesiis permittitur; porro si in Diœcesi dies Dedicationis uniuscujusque ecclesiæ sua die separatim celebratur, tantum in illa ecclesia Missa exsequialis prohibetur, in qua funus agi deberet; e contra vero si in tota Diœcesi Dedicatio ecclesiarum (Cathedrali excepta) una die communiter celebrātur, in omnibus ecclesiis Missa exsequialis prohibetur, in Cathedrali vero permittitur.

2) in Festo Tituli ipsius ecclesiæ, in qua funus agi deberet;

3) in Festo Patroni principalis loci (pagi, oppidi, civitatis, diœcesis, provinciæ, regni, nationis);

4) in religiosis Institutis in Festo Tituli aut Sancti Fundatoris Ordinis seu Congregationis.

Quodsi vero alicubi aliquod horum Festorum non in ipsa die celebretur, sed ejus sollemnitas externa in Dominicam sequentem transferatur, tunc Missa exsequialis prohibetur in Dominica, permittitur autem ipsa die.

III Missa exsequialis prohibetur præterea:

1) in ecclesiis, ubi habeatur expositio Ssmi Sacramenti, toto expositionis tempore;

2) quoties urgeat obligatio Missæ conventualis vel parochialis, cui per alios Sacerdotes satisfieri nequeat;
3) in ecclesiis unam tantum Missam habentibus
   a) die 2 Februarii (vel, ut in Bavaria, Dominica sequenti), si fiat benedictio Candelarum,
   b) Feria IV Cinerum, si fiat benedictio Cinerum,
   c) Dominica Palmarum, si fiat benedictio Palmarum,
   d) in Vigilia Pentecostes, si fiat benedictio Fontis baptismalis,
   e) in Litaniis
      α) majoribus,
      β) minoribus,
      } si fiat Processio.

C Missa exsequialis permittitur:

Supposito quod non occurrat impedimentum, modo sub B III 3 a—e enumeratum, Missa exsequialis permittitur:

1) in sequentibus Duplicibus 1 classis:
   a) Feria II post Pascha,
   b) Feria III post Pascha,
   c) Feria II post Pentecosten,
   d) Feria III post Pentecosten,
   e) in Festo sacratissimi Cordis Jesu,
   f) in omnibus Duplicibus 1 classis in Kalendario Diœcesis vel ecclesiæ ejus particularis aut Ordinis seu Congregationis assignatis, quæ non fuerint exceptæ supra B II.
2) item in omnibus Duplicibus 2 classis:
3) item in omnibus Officiis duplicibus majoribus, nempe
   a) in diebus Octavis privilegiatis,
      α) Epiphaniæ,
      β) Paschæ (Dominica in Albis)

γ) Ascensionis,
δ) Corporis Christi,
b) in diebus Octavis communibus,
c) in Festis duplicibus majoribus;
4) item in omnibus Officiis duplicibus minoribus, nempe
a) in Festis duplicibus minoribus,
b) in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum (de modo vide infra pag. 185 ss.),
c) in Vigilia Nativitatis Domini;
5) item in omnibus Officiis semiduplicibus
a) in diebus infra Octavas
α) privilegiatas,
β) communes,
b) in Vigiliis privilegiatis,
α) Epiphaniæ,
β) Pentecostes,
c) in Dominicis, licet anticipatis vel, etiam quoad Officium, repositis,
d) in Festis semiduplicibus,
e) in Feria VI post Octavam Ascensionis;
6) in omnibus Officiis simplicibus
a) in Feriis majoribus
α) privilegiatis,
1. Feria IV Cinerum,
2. Feria II, III, IV Majoris Hebdomadæ,
β) non privilegiatis
1. Feriis Adventus,
2. Feriis Quadragesimæ et Passionis,
3. Feria II Rogationum,
4. Feriis Quatuor Temporum mensis Septembris,
b) in Vigiliis communibus,
c) in diebus Octavis simplicibus,
d) in Officio S. Mariæ in Sabbato,

e) in Festis simplicibus,
f) in Feriis minoribus.

D De Missæ exsequialis translatione

De translatione Missæ exsequialis dicit Rubrica: „Quoties autem a Rubricis, ut supra, hæc Missa impeditur, transferri potest in proximiorem sequentem diem, similiter non impeditam."

Hac Rubrica jus hucusque vigens mutatur essentialiter in favorem Missæ exsequialis translatæ. In posterum nempe poterit transferri, si fuerit impedita, in proximiorem diem similiter non impeditam. Hucusque vero transferri poterat pro prima tantum vice in primam diem liberam a Duplici 1 aut 2 classis, et a Dominicis vel Festis de præcepto, prohibebatur tamen in Vigiliis Nativitatis, Epiphaniæ et Pentecostes, infra Octavas Epiphaniæ, Paschæ, Pentecostes et Corporis Christi, Feria IV Cinerum et tota Majori Hebdomada. In posterum ergo nonjam accidet casus singularis, qui fidelium admirationem movebat: quando nempe quis e vita cessit Feria IV Majoris Hebdomadæ, Missa exsequialis, quæ Sabbato sancto impediebatur, transferri oportebat post Dominicam in Albis; si quis vero obierat Feria VI in Parasceve, Missa exsequialis celebrari poterat Feria II post Pascha. In posterum in utroque casu obitus Feria II post Pascha erit prima dies libera, quæ Missæ exsequiali poterit assignari.

E De Missa exsequiali in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum

Etiam circa Missam exsequialem in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum in novis Rubricis aliquid novi statuitur

1) Antea, si in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum agebatur funus alicujus Defuncti, pro Missa exsequiali dicenda erat Missa in die obitus seu depositionis.
2) Die 10 Januarii 1919 S. R. C. in una Albinganensi respondit ad quæstionem: „Utrum, in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, liceat canere Missam pro Defuncto, præsente cadavere“ respondit: „*Affirmative*, juxta Rubricas et Decreta. Missa autem sit una ex tribus Missis, quæ dicuntur in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum: et Orationi Missæ addatur Oratio pro Defuncto, sub unica conclusione.
3) In novis Rubricis (tit. III. n. 4) sic habetur: „Quodsi in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum agatur funus alicujus Defuncti, sumatur prima Missa, et in ecclesiis aut oratoriis ubi prima Missa sollemniter celebrata fuerit, aut pro Officio diei distincte sit dein celebranda, dicatur secunda, aut demum tertia Missa; addita tamen in ipsa Missa exsequiali, sub unica conclusione, Oratione pro eodem Defuncto, ut in die obitus.
   a) Per se ergo pro Missa exsequiali prima Missa sumenda est. Si vero
      α) hæc jam dicta sit ante Missam exsequialem vel tamquam Missa principalis hujus diei (præsertim in ecclesiis, quibus onus chorale adjunctum est) post Missam exsequialem dicenda sit, sumatur secunda Missa.
      β) Quodsi etiam hæc jam dicta sit, sumatur tertia Missa.
   b) Quæcumque autem Missa pro exsequiali celebretur, addenda est Orationi

Missæ sub unica conclusione Oratio illa, quæ dicenda esset, si Missa exsequialis alio die celebraretur, ergo pro defuncto Summo Pontifice vel Cardinali vel Episcopo vel Sacerdote respectiva Oratio ex Orationibus diversis pro Defunctis, pro reliquis omnibus Defunctis Oratio ex Missa pro die obitus.

E De Missis privatis de Requie pro die obitus[1])

Occasione funeris sollemnis Defuncti dici possunt etiam Missæ privatæ de Requie pro die obitus tam in ecclesiis, quam in oratoriis publicis, semipublicis et privatis. Priusquam regulæ et normæ hisce in casibus observandæ exponantur, quædam erunt prænotanda.

A De notione ecclesiæ et oratorii

Juxta Codicem juris canonici hæc sunt animadvertenda:

I Ecclesiæ nomine intelligitur ædes sacra divino cultui dedicata eum potissimum in finem, ut omnibus Christifidelibus usui sit ad divinum cultum publice exercendum. Can. 1161.

II Oratorium est locus divino cultui destinatus, non tamen eo potissimum fine, ut universo fidelium populo usui sit ad religionem publice colendam. Can. 1188 § 1. Est vero oratorium

1) publicum, si præcipue erectum sit in commodum alicujus collegii aut etiam privatorum, ita tamen, ut omnibus fidelibus,

[1]) Cfr. tit. III, num. 5 nov. Rubr. pag. 30.

tempore saltem divinorum Officiorum, jus sit, legitime comprobatum, illud adeundi. Can. 1188 § 2, n. 1.

Quoad hæc oratoria publica dicitur in Can. 1191:

a) Oratoria publica eodem jure quo ecclesiæ reguntur. § 1.

b) Quare in oratorio publico, dummodo auctoritate Ordinarii ad publicum cultum perpetuo per benedictionem vel consecrationem .... dedicatum fuerit, omnes sacræ functiones celebrari possunt, salvo contrario Rubricarum præscripto. § 2.

2) semipublicum, si in commodum alicujus communitatis vel cœtus fidelium eo convenientium erectum sit, neque liberum cuique sit illud adire. Can. 1188 § 2, n. 2.

Talia oratoria sunt Capellæ monasteriorum, seminariorum, collegiorum, piarum communitatum, domorum exercitiorum, convictuum et hospitiorum juventuti litteris, scientiis aut artibus instituendæ destinatorum, nosocomiorum, hospitalium, orphanotrophiorum, xenodochiorum, carcerum, arcium, atque similia oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christifidelium cœtus convenire solet ad Missam audiendam.

a) Quoad ista oratoria semipublica hæc sunt animadvertenda:

α) Oratoria semipublica erigi nequeunt sine Ordinarii licentia. Can. 1192 § 1;

β) in oratoriis semipublicis, legitime erectis, omnia divina officia functionesve ecclesiasticæ celebrari possunt, nisi obstent Rubricæ aut Ordinarius aliqua exceperit. Can. 1193;

γ) hæc oratoria semipublica possunt consecrari vel sollemniter benedici, non vero debent (S. R. C. 4025 ad 5); possunt benedici etiam communi solum locorum domorumve benedictione, et etiam hæc potest omitti; debent tamen esse divino tantum cultui reservata et ab omnibus domesticis usibus libera. Can. 1196 § 2.

b) Circa hæc oratoria semipublica Rubricæ continent adhuc distinctionem in Codice non factam et usui practico accommodatam; distinguunt nempe

α) oratorium semipublicum, quod, deficiente ecclesia vel oratorio publico, horum locum teneat.

β) oratorium semipublicum, quod non teneat locum ecclesiæ aut oratorii publici.

3) Oratorium privatum seu domesticum, si in privatis ædibus in commodum alicujus tantum familiæ vel personæ privatæ erectum sit. Can. 1188 § 3.

Oratoria vero S. R. C. Cardinalium et Episcoporum, sive residentialium, sive titularium, licet privata, fruuntur tamen omnibus juribus et privilegiis, quibus oratoria semipublica gaudent. Can. 1189.

Hæc oratoria privata seu domestica iterum distinguuntur:

a) Oratoria domestica ex indulto Apostolicæ Sedis:

α) In iis, nisi aliud in eodem indulto expresse caveatur, celebrari potest, postquam Ordinarius oratorium visitaverit et probaverit, ... unica Missa eaque lecta, singulis diebus, exceptis sollemnioribus, sed aliæ

functiones ecclesiasticæ ibidem ne fiant. Can. 1195 § 1. Festa autem sollemniora, quibus Missa fieri nequit, vide infra pag. 213.

β) Ordinarius vero, dummodo justæ adsint et rationabiles causæ, diversæ ab iis ob quas indultum concessum fuit, etiam sollemnioribus Festis permittere potest per modum actus Missæ celebrationem. Can. 1195 § 2.

b) Oratoria domestica sine indulto Apostolicæ Sedis, quæ tantum cum licentia Ordinarii erecta sunt. Iterum distingui possunt

α) in talia, quæ erecta sunt in privata æde alicujus familiæ vel personæ: Ordinarius loci permittere potest nonnisi unius Missæ celebrationem, per modum actus, in casu aliquo extraordinario, justa et rationabili de causa. Can. 1194.

β) ædiculæ (sacella juxta denominationem Rubricarum) a familiis seu personis privatis ad suam sepulturam erectæ. Can. 1190; in quibus Ordinarius loci permittere habitualiter potest etiam plurium Missarum celebrationem. Can. 1194.

Oratoria domestica nec consecrari nec benedici possunt more ecclesiarum. Can. 1196 § 1.

Licet Oratoria domestica communi locorum domorumve benedictione aut nulla benedictione donentur, debent tamen esse divino tantum cultui reservata et ab omnibus domesticis usibus libera. Can. 1196 § 1.

B Missæ privatæ de Requie pro die obitus in ecclesiis et oratoriis publicis

I In ecclesia aut oratorio publico Missæ privatæ (i. e. lectæ) de Requie pro die obitus dici possunt

1) si funus Defuncti sollemniter agitur. Dici vero possunt tam ante Missam exsequialem sollemnem, quam concomitanter cum ea, et etiam post eam.
2) dummodo sacrificium pro ipso Defuncto applicetur, pro quo etiam applicatur Missa exsequialis sollemnis.

Istæ Missæ privatæ ergo omnino non permittuntur, si pro alio Defuncto applicantur et solum celebrantur ratione speciei majoris sollemnitatis.

II Hæ Missæ privatæ de Requie pro die obitus cum tantum sint quasi accessorium quid ad Missam exsequialem sollemnem, semper prohibentur, quando Missa exsequialis sollemnis sit interdicta. Attamen præterea prohibentur in sequentibus diebus, in quibus Missa sollemnis permittitur, nempe si occurrat

1) Dominica, etiamsi Officium non sit de Dominica,
2) Festum aliquod de præcepto, licet suppressum,
3) Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum,
4) Duplex 1 et 2 classis, etiam translatum,
5) aliqua Vigilia privilegiata, nempe
   a) Nativitatis,
   b) Epiphaniæ,
   c) Pentecostes,
6) aliqua Octava privilegiata, nempe
   a) Nativitatis,
   b) Epiphaniæ,

c) Paschæ,
d) Ascensionis,
e) Pentecostes,
f) Corporis Christi,
g) Octava pro particulari tantummodo ecclesia vel Instituto religioso privilegiata.

Jus liturgicum hucusque quoad Octavas mitigatius per novas Rubricas strictius evasit. Hucusque enim tales Missæ prohibitæ erant tantum infra Octavas Paschæ et Pentecostes, et in die Octava Epiphaniæ et Corporis Christi; permittebantur tamen diebus infra Octavas Nativitatis, Epiphaniæ, Ascensionis et Corporis Christi.

7) aliqua Feria privilegiata, nempe
a) Feria IV Cinerum,
b) Feria II, III, IV Majoris Hebdomadæ;
8) in ecclesiis, ubi habeatur expositio Ssmi Sacramenti, toto expositionis tempore,
9) quoties urgeat obligatio Missæ conventualis vel parochialis, cui per alium Sacerdotem satisfieri nequeat.

III Hæ Missæ privatæ de Requie permittuntur

1) in die Octava communi,
2) in Festo duplici majori,
3) in Festo duplici minori, excepta Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum,
4) in Festo semiduplici,
5) Feria VI post Octavam Ascensionis,
6) in Dominica anticipata,
7) in die infra Octavam communem,
8) in Feria majori non privilegiata, nempe
a) in Feriis Adventus usque ad diem 23 Decembris inclusive,

b) in Feriis Quadragesimæ a Feria V post Cineres usque ad Sabbatum post Dominicam Passionis inclusive,
c) in Feria II Rogationum,
d) in Feriis Quatuor Temporum mensis Septembris;

9) in Vigiliis communibus,
10) in die Octava simplici,
11) in Officio S. Mariæ in Sabbato,
12) in Festo simplici,
13) in Feria minori.

IV Quodsi Missa exsequialis sollemnis celebretur in die, in qua juxta Rubricas permittuntur Missæ quotidianæ in cantu, hæ Missæ privatæ de die obitus item poterunt celebrari in cantu.

C Missæ privatæ de Requie pro die obitus in oratoriis semipublicis, quæ locum teneant ecclesiæ aut oratorii publici.

I Quodsi in oratorio semipublico, quod, deficiente ecclesia vel oratorio publico, horum locum teneat, celebretur Missa exsequialis sollemnis, valent regulæ supra B expositæ.

II Quodsi in tali oratorio semipublico Missa exsequialis sollemnis non celebretur, in eo permittuntur Missæ privatæ (non solum una, sed plures) de Requie pro die obitus:

1) unica die ad libitum eligenda ab obitu usque ad depositionem, post depositionem nonjam permittuntur;
2) dummodo pro Defuncto applicentur;
3) nisi dies impedita occurrat, ut supra B II enumerantur,
4) etiam absente cadavere Defuncti, sive ex Capella sive ex domo.

D Missæ privatæ de Requie pro die obitus in oratoriis semipublicis, quæ locum non teneant ecclesiæ aut oratorii publici, et in oratoriis stricte privatis.

Hisce in oratoriis semipublicis et stricte privatis Missæ privatæ de Requie pro die obitus permittuntur

1) quotidie ab obitu usque ad depositionem; post depositionem nonjam permittuntur;
2) dummodo cadaver Defuncti sit physice præsens in domo;
3) dummodo Missæ pro Defuncto applicentur;
4) nisi dies aliqua impedita (vide supra B II) occurrat.

F De Missis in die III, VII, XXX et anniversaria ab obitu vel depositione Defunctorum et opportuniori die post acceptum mortis nuntium [1])

A Notiones præviæ

I De die III, VII, XXX

Ex antiquissimis temporibus sancta Mater Ecclesia non solum illico post mortem in exsequiis pro Defuncto Hostiam salutarem sacrificat, sed ejus memoriam renovat etiam die tertio, septimo, et trigesimo.[2]) Circa hos dies sequentia sunt notanda:

---

[1]) Cfr. tit. III, num. 6 et 7 nov. Rubr., pag. 30—32.

[2]) De horum dierum rationibus mysticis scribit Cavalieri (tom. III, cap. 4, n. 1): „*Die* itaque *tertia* sollemnior fieri solet mortuorum recordatio, ut pius Dominus, quidquid peccaverunt cogitatione, verbo et opere erga Deum, proximos et seipsos, misericorditer indulgendo, Ssmæ Trini-

1) Juxta Rubricam et Decr. S. R. C. 3753 ad 4 computari possunt dies III, VII et XXX aut a die obitus aut a die depositionis vel sepulturæ, saltem apud eos Defunctos, qui sepulturam consecuti sunt, immo juxta auctores in hac computatione dies obitus vel depositionis potest aut includi aut excludi. Si vero sepultura fiat die tertio post obitum, nonjam habetur libertas electionis, et debet computatio fieri post diem depositionis. Non licet ergo die depositionis statim etiam peragere tertium diem post obitum.

tatis similitudinem in eis restaurare dignetur. Sicut autem Christus *tertia die* resurgens ex mortuis vitam nostram reparavit in melius, ita nos *tertia die* pro spiritibus mortuorum offerentes, spem futuræ resurrectionis et securam beatæ perennitatis gloriam profitemur, eumdem Christum exorantes, ut, preces nostras acceptando, Defunctorum condicionem in melius reparet, illos educendo a purgatorii carcere ad patriæ gaudia. — *Septimo* quoque die, quo numero universitas designatur, universa eorum peccata delemus, Josephi Ægypti proregis instar, qui Jacob patris sui exsequias celebrans (Gn 50, 10) implevit dies *septem* luctus; unde et Sir 23, 13 dicitur: *Luctus mortui septem dies. Septima* item dies, Sabbatum, est symbolum futuræ quietis, unde Dominum Sabbati precamur, ut requiem æternam eis donet et *amodo jam dicat Spiritus, ut requiescant a laboribus suis* (Apc 14, 13).“ — Quoad *trigesimum* diem denique notat Gavantus (Thesaurus sacr. rit. p. I. tit. 5 d): *Trigesimum* diem commendat S. Ephrem (in suo testamento apud Surium I) derivaturque ritus a morte Aaron et Moysis, quos flevit populus *triginta* diebus (Nm 20, 30; Dt 34, 8); vel quia Dominus baptizatus est annum agens *trigesimum* (Alcuin) vel quia in hac mensura ætatis Christi resurgemus omnes (idem), vel quia hac ætate Adam creatus fuit, secundum communiorem doctorum sententiam.“

2) Privilegium hisce diebus concessum consistit in eo, quod in iis permittatur aut Missa sollemnis (cantata) aut lecta de die III, VII, XXX ab obitu vel depositione, in qua dicitur unica Oratio, et quidem posita post Missam de die obitus.

3) Privilegium conceditur tantum pro die vere III, VII et XXX ab obitu vel depositione, sive dies obitus vel depositionis includatur in computatione sive non. Omnino ergo non licet aliis diebus privilegio uti. Quodsi diebus inter III et VII et XXX permittantur juxta Rubricas Missæ quotidianæ Defunctorum sive cantatæ sive lectæ, celebrandæ sunt cum tribus Orationibus.

4) Dies, qui non admittant Missam de III, VII et XXX die, vide infra B II.

II De anniversariis

Elapso anni curriculo pia Mater nostra Ecclesia ex antiquissimis temporibus celebrat diem anniversariam ab obitu seu depositione Defuncti.

1) Distinguendi sunt duo dies anniversarii:

a) anniversarium stricte sumptum est Missa de Requie, quæ celebratur sive cum sive sine cantu

α) vel ex fundatione,
β) vel ex petitione vivorum, etiamsi petatur pro una tantum vice, aut pluries, admissa interruptione,

} quotannis recurrente ipso die obitus vel depositionis defuncti;

b) anniversarium late sumptum est illa Missa de Requie, quæ celebratur sollemniter aut saltem cum cantu

α) extra diem obitus ex fundatione, vel
β) pro omnibus Defunctis alicujus cœtus (religiosæ communitatis, collegii canonicorum, confraternitatis, piæ sodalitatis) semel in anno, die fixo vel mobili ad libitum, etiamsi iste dies non sit anniversarius stricte ab obitu;
γ) his annumerantur etiam Missæ, quæ per octiduum a Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum inclusive computandum (ergo a die 2—9 Novembris inclusive aut a die 3—10 Novembris inclusive) pro fidelium pietate peraguntur.

2) Privilegium in eo consistit, quod in anniversariis stricte dictis una Missa cantata vel lecta, in anniversariis late dictis Missa tantum cantata de anniversario permittitur cum unica Oratione juxta formulare in Missali exstans.

3) Dies, in quibus hæc Missa prohibeatur, vide infra B II.

III De Missa post acceptum mortis nuntium

1) Privilegium jam prioribus temporibus religiosis familiis concessum, vi cujus licebat, intra quosdam limites, ad nuntium mortis in loco dissito pro defuncto confratre vel benefactore Ordinis seu Congregationis celebrare Missam sollemnem vel cantatam de die obitus, recentioribus temporibus fuit extensum in gratiam personarum quarumcumque, etiam particularium.

2) Hæc Missa potest celebrari aut sollemniter vel cum cantu aut etiam privatim legi juxta novissimas Rubricas; sed privile-

gium valet tantum pro locis dissitis ab illo loco, ubi Defunctus decessit e vita.

3) Permittitur una tantum Missa cum unica Oratione de die obitus in una eademque ecclesia seu oratorio; sed potest celebrari in pluribus ecclesiis, in quibus a dissito loco nuntius mortis accipitur.

4) Hæc Missa hucusque permittebatur prima tantum die post acceptum mortis nuntium; quia vero ob temporis coarctationem privilegium sæpissime evasit mancum (si modo monasteria accipias), S. R. C. plurimorum votis occurrens, opportunissimam nunc concessit mitigationem, permittendo, ut Missa in posterum celebrari valeat opportuniori die post acceptum mortis nuntium.

B Accuratior definitio privilegii his diebus concessi

I Supposito, quod hæ Missæ de Requie, permissæ die III, VII et XXX et anniversaria tam stricte quam late sumpta, necnon opportuniori die post acceptum mortis nuntium, pro Defuncto applicentur, diebus (infra III) enumerandis celebrari potest

1) unica Missa, et quidem

a) sollemnis (cantata) **aut** lecta

α) in die III, VII, XXX ab obitu vel depositione,

β) in anniversario stricte sumpto ab obitu vel depositione,

γ) opportuniori die post acceptum mortis nuntium.

b) sollemnis vel cantata tantum in anniversariis late sumptis, nempe

α) in anniversario extra diem obitus ex fundatione,

β) in anniversario pro omnibus Defunctis alicujus cœtus,
γ) in Octiduo a Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum inclusive computando;

2) hæc unica Missa celebrari potest in qualibet ecclesia, ergo in ecclesia stricte dicta, in oratorio publico, semipublico et privato.

II Hæ Missæ prohibentur, si occurrat

1) Dominica, etiamsi Officium non sit de Dominica,
2) Festum de præcepto, licet suppressum,
3) Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum,
4) Duplex 1 et 2 classis, etiam translatum,
5) aliqua Vigilia privilegiata,
6) aliqua Octava privilegiata,
7) aliqua Feria privilegiata;
8) in ecclesiis, ubi habeatur expositio Ssmi Sacramenti, toto expositionis tempore,
9) quoties urgeat obligatio Missæ conventualis vel parochialis, cui per alios Sacerdotes satisfieri nequeat.

III Hæ Missæ permittuntur

1) in die Octava communi,
2) in Festo duplici majori,
3) in Festo duplici minori, excepta Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum,
4) in Festo semiduplici,
5) Feria VI post Octavam Ascensionis,
6) in Dominica anticipata, vel primo infra hebdomadam resumenda,
7) in die infra Octavam communem,
8) in Feria majori non privilegiata,
9) in Vigiliis communibus,
10) in die Octava simplici,

11) in Officio S. Mariæ in Sabbato,
12) in Festo simplici,
13) in Feria minori.

IV De Missarum translatione

Quodsi dies aliqua impedita (II) occurrat, hujusmodi Missa in proximam diem pariter non impeditam (III) anticipari, si anticipari valeat, aut transferri poterit, dummodo in cantu celebrentur, exceptis Missis per Octiduum Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum peragendis, quæ, si per Octiduum ipsum non fuerint celebratæ, transferri nequeunt.

1) Missa translata debet ergo semper in cantu celebrari;
2) translatio fieri potest anticipatione vel repositione;
3) quoad Missas per Octiduum celebrandas translatio post octiduum non permittitur.

G De Missis in ecclesia vel oratorio publico, immo et privato sepulcreti.[1])

Quoad cœmeteria vide constitutiones Codicis juris canonici can. 1205—1214.

A De ecclesiis et oratoriis sepulcreti.

In sepulcreto erigi possunt:

I Ecclesia proprie dicta, in qua poterunt Missæ celebrari sicut in aliis ecclesiis extra sepulcreta sitis.

Attamen in ecclesiis, sive sepulcreti sive non, „cadavera ne sepeliantur, nisi agatur de cadaveribus Episcoporum residentialium, Abbatum vel Prælatorum *nullius* in propria ecclesia sepeliendis, vel Romani

[1]) Cfr. tit. III, num. 8 nov. Rubr., pag. 32.

Pontificis, regalium personarum aut S. R. C. Cardinalium." Can. 1205 § 2.

II Oratorium publicum, in quo poterunt Missæ celebrari sicut et in aliis oratoriis publicis extra sepulcretum erectis. Quodsi plura in uno sepulcreto erecta sint oratoria publica, unum eorum debet signari tamquam principale, cui privilegia infra exponenda conveniant.

III Sacella, quæ Rubrica, ædicula, quæ Codex juris canonici appellat. Romæ, in Italia et in quibusdam aliis regionibus, præsertim meridionalis Europæ, non raro eriguntur in sepulcretis parva sacella seu ædicula super sepulcrum alicujus Defuncti particularis, aut super sepulcrum commune alicujus familiæ, vel etiam religiosi instituti, vel collegii canonicorum, exornata altari mobili in legitima distantia a cadavere disposito;[1]) quæ sacella seu oratoria mere privata usui publico non sunt aperta, possunt tamen in eis membra familiarum assistere Missæ sacrificio inibi celebrato.[2]) In iis potest Ordinarius loci permittere non solum per modum actus, sed etiam habitualiter plurium etiam Missarum celebrationem. Can. 1194.

B Privilegium hisce ecclesiis et oratoriis concessum.

Hoc privilegium describitur in novarum Rubricarum Tit. III. n. 8.[3])

---

[1]) Subtus altare nullum sit reconditum cadaver; cadavera autem, quæ prope altare sepulta sunt, distent ab eo saltem spatio unius metri; secus Missam in altari celebrare non licet, donec cadaver removeatur. Can. 1202 § 2. Cfr. Decr. S. R. C. 3944 ad 2. [2]) Cfr. Van der Stappen l. c. pag. 364. [3]) Vide supra pag. 32.

I Mens privilegii

1) Mens non est, quod in his ecclesiis et oratoriis sive publicis sive privatis sine ulla ampliori licentia Missæ poterunt celebrari;

2) Mens est, quod, si venia a legitima auctoritate concessa sit in his ecclesiis et oratoriis Missas celebrandi, eæ Missæ, quæ inibi celebrantur, certis quibusdam diebus, infra accuratius determinandis, possint esse de Requie, quod in aliis ecclesiis et oratoriis extra sepulcretum erectis non possint. Et quidem
   a) ratione sollemnitatis extrinsecæ:
      α) in ecclesia vel oratorio publico et principali sepulcreti hæ Missæ poterunt aut cantari aut legi;
      β) in ædiculis sepulcreti rite erectis vel erigendis locum habere possunt tantum Missæ lectæ.
   b) ratione ritus:
      Missis inibi celebratis convenit ritus, qui respondet occasioni, ex qua celebrantur; ergo
      α) si agatur de Missis de Requie privilegiatis, nempe
         1) de die obitus vel depositionis,
         2) de die III, VII, XXX,
         3) de die anniversaria sive stricte sive late sumpta,
         4) de die opportuniori post acceptum mortis nuntium,
         5) de Missis in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum,

      tunc gaudent ritu duplici cum unica Oratione;
      β) si agatur de Missis quotidianis, habent ritum simplicem, et dicendæ erunt tres saltem Orationes.

II Extensio privilegii

1) ratione loci:

a) Privilegium valet
- α) pro ecclesia
- β) pro oratorio publico principali
- γ) pro sacello rite erecto vel erigendo

} sepulcreti, nondum derelicti, in quo Defuncti adhuc sepeliri soleant.

b) Privilegium non valet
- α) pro aliis ecclesiis et oratoriis extra sepulcretum erectis, etiamsi subter eas, licet ad legitimam distantiam, alicujus Defuncti cadaver quiescit;
- β) pro illis sacellis, ecclesiis et oratoriis publicis sepulcreti, in quo olim cadavera sepeliebantur, quod sepulcretum tamen quacumque ex causa derelictum est, ita ut defuncti in eo non amplius sepeliri soleant;
- γ) pro illis ecclesiis, quæ licet circumjacens habeant cœmeterium, tamen chorale onus aut curam animarum adnexam habeant.

2) ratione temporis:

a) in illis ecclesiis, oratoriis publicis principalibus et ædiculis sepulcreti, in quibus Missæ celebrari possunt, hæ Missæ possunt dici de Requie
- α) in die Octava communi,
- β) in Festo duplici majori,
- γ) in Festo duplici minori, etiam in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum,
- δ) in Festo semiduplici,
- ε) in Dominica anticipata vel primo infra hebdomadam resumenda,
- ζ) Feria VI post Octavam Ascensionis,

η) in die infra Octavam communem,
ϑ) in Feriis majoribus non privilegiatis,
ι) in Vigiliis communibus,
κ) in die Octava simplici,
λ) in Officio S. Mariæ in Sabbato,
μ) in Festo simplici,
ν) in Feria minori;

b) in prædictis ecclesiis etc. Missæ de Requie prohibentur, etiamsi in iis cum venia Ordinarii aut juxta jus commune celebrari poterunt Missæ de die, si occurrat
α) Dominica, etiamsi Officium non sit de Dominica,
β) Festum de præcepto licet suppressum,
γ) Duplex 1 et 2 classis, etiam translatum,
δ) aliqua Vigilia privilegiata,
ε) aliqua Feria privilegiata,
ζ) aliqua Octava privilegiata.

H De Missis quotidianis Defunctorum [1])

A Quæ et quot sint.

I Missæ quotidianæ Defunctorum sunt illæ Missæ de Requie, quæ celebrantur sive cum, sive sine sollemnitate extrinseca præter Missas privilegiatas Defunctorum hucusque expositas.

II Sunt vero sequentes:
1) quæ celebrantur ex fundatione sine determinatione diei;
2) quæ celebrantur in ecclesiis Cathedralibus et collegiatis prima die mensis

[1]) Cfr. tit. III, num. 9 nov. Rubr. pag. 33.

libera, pro defunctis Sacerdotibus, benefactoribus et aliis;
3) quæ celebrari possunt juxta Rubricas in iisdem ecclesiis Feria II cujusque hebdomadæ libera ad eamdem intentionem;
4) quæ a Sacerdote ex ipsius voto celebrari possunt, juxta Rubricas;
5) quæ a Sacerdote celebrantur ex voto vel desiderio petentis et offerentis stipem, in suffragium certi alicujus Defuncti vel Omnium Fidelium Defunctorum.

B Earum distinctio

Missæ quotidianæ distinguuntur:

I ratione sollemnitatis extrinsecæ,
1) in Missas sollemnes,
2) in Missas cantatas,
3) in Missas privatas (lectas).

II ratione occasionis, qua celebrantur,
1) in præscriptas vel saltem permissas a Rubricis,
2) in dicendas ex fundatione, die non determinato,
3) in Missas, quæ celebrantur ex voto
a) Sacerdotis vel
b) petentis.

III ratione obligationis,
1) in publicas (conventuales),
2) in privatas (non conventuales).

C Missæ quotidianæ privatæ cantatæ

I Prohibentur:
1) in quolibet Officio duplici,
2) in quavis Dominica, licet anticipata, vel, etiam quoad Officium, reposita,
3) in Octavis privilegiatis,
4) in Vigiliis privilegiatis,
5) in Feriis privilegiatis,

6) in ecclesiis, ubi habeatur expositio Ssmi Sacramenti, toto expositionis tempore,
7) quoties urgeat obligatio Missæ conventualis, cui per alium Sacerdotem satisfieri nequeat,
8) diebus Rogationum, in ecclesiis unam tantum Missam habentibus, si fiat Processio.

II Permittuntur, si Officium fuerit
1) de Festo semiduplici extra Octavam Nativitatis vel Ascensionis,
2) de Feria VI post Octavam Ascensionis,
3) de die Octava simplici,
4) de Feria majori non privilegiata, nempe
a) de Feria Adventus,
b) de Feria Quadragesimæ a Feria V post Cineres usque ad Sabbatum post Dominicam Passionis inclusive,
c) de Feria II Rogationum, exceptis ecclesiis unam tantum Missam habentibus, si fiat Processio,
d) de Feria Quatuor Temporum mensis Septembris,
5) de Vigilia communi, excepta Vigilia Ascensionis in ecclesiis unam tantum Missam habentibus, si fiat Processio;
6) de die Octava simplici,
7) de S. Maria in Sabbato,
8) de Festo simplici,
9) de Feria minori, excepta Feria III Rogationum, in ecclesiis unam tantum Missam habentibus, si fiat Processio.

D Missæ quotidianæ privatæ lectæ

I Extra Quadragesimam

1) prohibentur:

a) quando Missæ quotidianæ in cantu prohibentur; præterea

b) in Feriis Quatuor Temporum,
c) in Feria II Rogationum,
d) in Vigiliis communibus,
e) in Feriis Adventus, a die 17—23 Decembris inclusive,[1])
f) in diebus Octavis simplicibus,

} etiam tantummodo commemoratis.

g) quando primo resumenda sit Missa alicujus Dominicæ impedita.

2) permittuntur:

a) Feria VI post Octavam Ascensionis, nisi facienda sit Commemoratio diei Octavæ simplicis,
b) in Festo semiduplici extra Octavas Nativitatis et Ascensionis occurrenti, nisi Commemoratio facienda sit
   α) Feriæ Quatuor Temporum,
   β) Feriæ II Rogationum,
   γ) Feriæ Adventus a die 17—23 Decembris inclusive,
   δ) Vigiliæ communis,
   ε) diei Octavæ simplicis,
c) in Officio S. Mariæ in Sabbato,
d) in Festo simplici,
e) in Feria minori per annum, nisi
   α) primo resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis impedita;
   β) Feria III Rogationum fiat Processio, in ecclesiis unam tantum Missam habentibus.

II In Quadragesima

In Quadragesima Missæ quotidianæ privatæ sine cantu permittuntur prima tantum

[1]) Hæ Feriæ juxta novas Rubricas nonjam admittunt Missas quotidianas privatas lectas.

die cujuscumque hebdomadæ libera, in qua, nempe extra Quatuor Tempora, fiat de Festo semiduplici aut de Feria non privilegiata et facienda non sit Commemoratio Vigiliæ, juxta Kalendarium ecclesiæ, in qua Missa celebratur.

I De Orationibus in Missis Defunctorum[1])

A De Orationum numero

I Una tantum Oratio dicitur

1) in Missis de die vel pro die obitus, nempe
   a) in Missa exsequiali,
   b) in Missis privatis celebratis juxta Rubricas
      α) in ecclesia aut oratorio publico, ubi funus Defuncti sollemniter agitur,
      β) in oratoriis semipublicis, quæ, deficiente ecclesia vel oratorio publico, horum locum teneant, unica die ad libitum ab obitu usque ad depositionem,
      γ) in oratoriis semipublicis, quæ non teneant locum ecclesiæ aut oratorii publici, quotidie per idem tempus, dummodo cadaver sit physice præsens in domo, in qua erecta sunt præfata oratoria,
      δ) item in oratoriis stricte privatis iisdem sub condicionibus.
   c) in Missis post acceptum mortis nuntium.

---

[1]) Cfr. tit. III, num. 10 nov. Rubr. pag. 34.

2) in Missis de die III, VII, XXX post obitum vel depositionem,
3) in anniversariis stricte et late dictis,
4) in Missis, quæ respondent Officio Defunctorum sub ritu duplici, i. e. sollemniter celebrato.

II Tres Orationes dicuntur in Missis quotidianis sub ritu simplici celebratis.

III Plures quam tres, i. e. quinque aut septem Orationes dici possunt in Missis quotidianis privatis lectis, dummodo ultimo loco ponatur semper Oratio *Fidelium*, juxta generales Rubricas Missalis Tit. V, n. 4 et IX, n. 12.

B Quæ Orationes sint dicendæ, si plures occurrant.

I Si Missa applicetur pro Defunctis in genere, dicuntur Orationes, quæ in Missa quotidiana Defunctorum inveniuntur.

II Si vero applicetur pro Defunctis speciaLiter assignatis,
1) prima dicitur de Defunctis, quorum in suffragium Missa celebratur; deficiente vel ignorata designatione sumatur Oratio *Deus, veniæ largitor;*
2) altera ad libitum,
3) tertia *Fidelium* pro omnibus Defunctis.

K De Sequentia in Missis Defunctorum[1])

I Sequentia dici debet

1) in omnibus Missis, in quibus dicitur unica Oratio, ergo etiam in unaquaque trium

[1]) Cfr. tit. III, num. 11 nov. Rubr. pag. 35.

Missarum in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum;

2) in omnibus Missis conventualibus de Requie, sive fiant in cantu sive legantur, sive habeant unam sive tres Orationes;
3) in omnibus Missis privatis quotidianis cantatis.

II Sequentia dici vel omitti potest in reliquis Missis quotidianis privatis lectis ad libitum Sacerdotis.

I. Quando Missæ Defunctorum omnino prohibeantur[1])

Quælibet Missa Defunctorum, etiam in die aut pro die obitus prohibetur

1) in ecclesiis, ubi habeatur expositio Ssmi Sacramenti, toto expositionis tempore;
2) quoties urgeat obligatio Missæ conventualis vel parochialis, cui per alios Sacerdotes satisfieri nequeat;
3) in ecclesiis unam tantum Missam habentibus prohibetur
   a) die 2 Februarii, si fiat benedictio Candelarum,
   b) Feria IV Cinerum, si fiat benedictio Cinerum,
   c) Dominica Palmarum, si fiat benedictio Palmarum,
   d) in Vigilia Pentecostes, si fiat benedictio Fontis baptismalis,
   e) in Litaniis, sive majoribus sive minoribus, si fiat Processio.

---

[1]) Cfr. tit. III, num. 12 nov. Rubr. pag. 35.

XI De Missa in ecclesia aliena

I Textus Rubricæ [1])

Omnes et singuli Sacerdotes, tam sæculares quam regulares, Missas, etsi Regularium proprias, omnino celebrent juxta Kalendarium ecclesiæ vel oratorii publici, in quo celebrant; exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum et ecclesiarum propriis. Idem servetur in oratorio semipublico sive in capella principali seminariorum, collegiorum, piarum communitatum, hospitalium, carcerum et similium. Si vero, juxta Kalendarium ecclesiæ aut oratoriorum præfatorum, Missæ votivæ vel aliæ permittantur, easdem celebrare valeant, servatis tamen Rubricis et Decretis.

II Fusior explicatio

Statuitur a præcedente Rubrica sequens norma, quod quivis Sacerdos Missam celebrans in ecclesia aliena, sequi debet Kalendarium illius ecclesiæ, in qua celebrat; exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum et ecclesiarum propriis.

1) **Quivis Sacerdos:**

Omnes et singuli Sacerdotes, tam sæculares quam regulares, exceptis tamen Episcopis et Cardinalibus.

Secundum jus hucusque vigens etiam Episcopi et Cardinales in ecclesiis regularium tenebantur se accommodare eorum directorio, immo juxta Decr. S. R. C. 4150 in iis quoque ecclesiis, quæ, licet in possessionem regularium haudquaquam trans-

[1]) Cfr. tit. IV. num. 6 nov. Rubr. pag. 39.

ierint et a jurisdictione Ordinarii minime exemptæ sint, ab Episcopo tamen Sacerdotibus regularibus ad tempus concreditæ sunt. Juxta can. vero 239 § 1, n. 9 et 349 § 1, n. 1 Codicis juris canonici Cardinales et Episcopi privilegio muniti sunt, in omnibus ecclesiis et oratoriis Missam celebrandi proprio Kalendario conformem.

2) **Celebrans in ecclesia aliena**

Nomine ecclesiæ intelligitur

a) ecclesia proprie dicta,

b) oratorium publicum,

c) oratorium semipublicum, quibus adnumerantur etiam oratoria privata Episcoporum et Cardinalium; si plura in seminario aliquo, collegio etc. habeantur oratoria, intelligitur oratorium principale; cetera in eadem domo exsistentia oratoria censentur oratoria privata, in quibus Sacerdos suum sequi debet Kalendarium.

3) **Missam celebrans:** intelliguntur etiam Missæ Regularium omnino propriæ.

4) **sequi debet Kalendarium ecclesiæ alienæ;** debet ergo Missam celebrare omnino, ac si adscriptus esset illi ecclesiæ, in qua celebrat; omnino se conformans Kalendario illius ecclesiæ etiam quoad ritum Festi, numerum et electionem Orationum, Collectam, *Credo*, Præfationem etc.

5) **exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum et ecclesiarum propriis;** si quis ergo celebrat in ecclesia Ordinis Prædicatorum vel Ordinis Carthusiani, etiamsi ritus illorum Ordinum proprii gnarus esset, sequi debet tamen ritum Romanum: idem valet quoad ritus ecclesia-

rum proprios ex. gr. in Diœcesi Mediolanensi, ubi viget ritus Ambrosianus; non licet etiam in *Confiteor* exprimere nomen Sancti Fundatoris vel Patroni illius Ordinis, in cujus ecclesia celebrat.

6) Si vero, juxta Kalendarium ecclesiæ aut præfatorum oratoriorum, Missæ votivæ vel aliæ permittantur, easdem celebrare valeant, servatis tamen Rubricis et Decretis.

Si juxta Kalendarium ecclesiæ alienæ occurrit Officium ritus semiduplicis vel simplicis, juxta Kalendarium vero Sacerdotis alieni celebrantis Officium ritus duplicis 1 vel 2 classis, Missam dicere potest juxta suum Kalendarium, non vero modo votivo, sed festivo. Cfr. S. R. C. Decr. 3892 ad 5.

XII De Missa in oratoriis privatis

In oratoriis privatis, Missa semper convenire debet cum Officio Celebrantis. Sunt vero dies, in quibus, excluso speciali privilegio, Missa in oratoriis privatis omnino prohibetur:

1) in Festo Nativitatis Domini,
2) in Festo Epiphaniæ,
3) in Pascha,
4) in Ascensione,
5) in Pentecoste,
6) in Assumptione B. M. V.,
7) in Conceptione immaculata B. M. V.
8) in Festo Ss. Petri et Pauli App.,
9) in Festo Omnium Sanctorum,
10) in Dominica, in quam transfertur sollemnitas externa Patroni principalis loci,

11) in Dominica, in quam transfertur sollemnitas externa Ssmi Corporis Christi,
12) in triduo sacro Majoris Hebdomadæ.

XIII Privilegium pro Sacerdotibus cæcutientibus

Sacerdotibus cæcutientibus vel senio fatiscentibus aliquando conceditur a Summo Pontifice vel a S. Rituum Congregatione vel interdum etiam ab Episcopo apostolica ad id facultate munito privilegium singulis diebus celebrandi Missas Officio dierum non conformes, nempe votivam de B. Maria Virgine aut Missam de Requie.

I Condiciones

1) Privilegium concedi solet sub sequentibus condicionibus, dummodo nempe Orator
   a) non sit omnino cæcus,
   b) non recitet memoriter, sed utatur libro pro iis partibus Missæ, pro quibus Missale adhiberi solet,
   c) celebret in oratorio privato, aut si in publico vel in ecclesia, hora a populo minus frequentata,
   d) cum assistentia alterius Sacerdotis, si opus sit.
2) Quodsi cæcutiens sit parochus, licet privilegium obtinuerit, curare debet, ut, quoties urgeat obligatio pro populo applicandi, alius Sacerdos Missam Officio diei respondentem celebret. Si non possit talis præsto esse, parochus ipse Missam votivam B. Mariæ V. celebret eamque pro populo applicet.

3) Condiciones in hujusmodi privilegiis appositæ non sunt meræ ritualitatis et styli, sed obligatoriæ in conscientia. (S. R. C. 2560, ad 4).

4) Si, privilegio obtento, debilitas oculorum cursu temporis ita creverit, ut Sacerdos ad omnimodam cæcitatem devenerit, non potest licite perseverare in celebratione, donec novum Indultum impetraverit. (S. R. C. d. 2560, ad 3). Novo privilegio obtento, Sacerdos cæcus sub gravi tenetur assistentia uti alterius Sacerdotis, etiamsi forte in instrumento concessionis hæc obligatio non fuerit expresse imposita.

II Missæ concessæ Sacerdoti cæcutienti

Missæ, quæ Sacerdoti cæcutienti celebrari permittuntur, sunt Missa votiva de B. Maria Virgine et Missa quotidiana Defunctorum.

1) Missa de B. Maria Virgine

a) Missa votiva ea intelligitur, quæ est quinta inter Missas votivas B. M. V., quæ inscribitur dicenda a Pentecoste usque ad Adventum; si vero cæcutiens facile præstare poterit, et alias quatuor diversis anni temporibus assignatas dicere valet.

b) Hæc Missa votiva dici debet omnibus diebus, quibus non permittuntur Missæ quotidianæ Defunctorum privatæ lectæ, ergo omnibus Dominicis et in Festis duplicibus cujusque gradus, etiam B. M. V., in Octavis, Feriis et Vigiliis privilegiatis; in Triduo autem sacro Majoris Hebdomadæ Sacerdoti cæcutienti celebrare non licet.

c) Dici debet semper colore albo (S. R. C. 3146 ad 2).

d) Omitti debet semper *Gloria in excelsis*, etiam in Festis sollemnioribus, quæ non sunt B. Mariæ Virginis; dicitur tamen in Sabbatis (S. R. C. 3146 ad 3) et in Festis B. M. V.; item convenienter etiam in Nativitate Domini.

e) *Credo* numquam dicitur, ne in Dominicis quidem et Festis sollemnioribus (S. R. C. 3146 ad 3).

f) Celebrari semper debet sine ulla Commemoratione speciali aut Collecta; Oratio secunda semper erit de Spiritu Sancto, tertia contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa. (S. R. C. 3146 ad 4 et 5.)

g) In die Nativitatis Domini Sacerdos cæcutiens celebrare potest juxta Decr. S. R. C. d. d. 26 Januarii 1920 ter eamdem Missam votivam de B. M. V.; abrogato penitus Decr. 3146 ad 6 et 2802 ad 3.

2) Missa de Requie

a) Missa intelligitur illa, quæ est quotidiana, cum tribus Orationibus, uti in Missali apponuntur.

b) Hæc Missa celebrari potest tantum diebus, quibus Missæ quotidianæ Defunctorum privatæ lectæ per Rubricas permittuntur. Sacerdos privilegiatus potest hisce diebus celebrare Missam præfatam Defunctorum, sed non debet; nam plane ejus arbitrio relinquitur, dicere etiam Missam de B. Maria Virgine loco Missæ Defunctorum.

c) In die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum Sacerdos cæcutiens juxta Decretum S. R. C. supra comme-

moratum diei 26 Januarii 1920 item ter Sacrum facere potest, eamdem Missam Defunctorum repetendo.

XIV Alleluja

additur Tempore Paschali, nisi jam habeatur vel nisi aliter suo loco notetur.

I in sequentibus Missis:

1) de Communi
   a) Confessorum Pontificum,
   b) Doctorum,
   c) Confessorum non Pontificum,
   d) Abbatum,
   e) Virginum,
   f) non Virginum,
   g) Dedicationis ecclesiæ,
   h) Festorum B. Mariæ Virginis:
2) in propriis de aliquo prædictorum Sanctorum vel Sanctarum;
3) in omnibus Missis votivis, quæ non sint specialiter pro Tempore Paschali assignatæ:

II et quidem

1) duplex: in Introitu ante Psalmum,
2) simplex: in fine Offertorii et Communionis.

XV Versus Gloria Patri

omittitur

I in sequentibus Missis:

1) in Missis de Tempore a Dominica Passionis usque ad Feriam V in Cœna Domini inclusive;
2) in Missis Defunctorum;

II et quidem
1) ad Introitum,
2) post Psalmum *Lavabo.*

XVI Psalmus Judica

omittitur in sequentibus Missis:

I in Missis de Tempore a Dominica Passionis usque ad Feriam V in Cœna Domini inclusive;

II in Missis Defunctorum.

XVII Gloria in excelsis[1])

A Dicitur:

I in Missis Officio conformibus:

1) quandocumque in Officio dictus fuerit Hymnus *Te Deum:*
   a) in omnibus Festis per annum,
      α) in Missis de Festis duplicibus 1 classis, etiam in Festo Ss. Innocentium Mm., sicubi sub hoc ritu celebretur;
      β) in Missis de Festis duplicibus 2 classis, etiam in Festo Ss. Innocentium Mm., si venerit in Dominica;
      γ) in Missis de diebus Octavis privilegiatis et communibus;
      δ) in Missis de Festis duplicibus majoribus;
      ε) in Missis de Festis duplicibus minoribus;
      ζ) in Missis de Festis semiduplicibus;

[1]) Cfr. tit. VII, num. 1 nov. Rubr. pag. 56.

η) in Missis de diebus infra Octavas privilegiatas et communes;
ϑ) in Missis de diebus Octavis simplicibus;
ι) in Missis de Festis simplicibus;
κ) in Missis de quolibet Festo, quæ infra ipsius Octavam quamvis simplicem dicuntur;

b) in sequentibus Missis de Dominica:
α) a Dominica infra Octavam Nativitatis Domini usque ad Dominicam VI post Epiphaniam inclusive;
β) a Paschate usque ad Dominicam ultimam post Pentecosten inclusive;
γ) in Dominica anticipata;
δ) in Dominica, etiam quoad Officium, reposita;

c) in Missis de Vigiliis privilegiatis
α) Epiphaniæ,
β) Pentecostes;

d) in Missa de Feria VI post Octavam Ascensionis;
e) in Missa de sancta Maria in Sabbato;
f) in Missis de Feriis minoribus Temporis Paschalis, exceptis Rogationibus;

2) quamvis in Officio dictus non sit Hymnus *Te Deum:*
a) in Missa Feriæ V in Cœna Domini,
b) in Missa Sabbati sancti.

II In Missis Officio non conformibus:

1) in sequentibus Missis de Dominica infra hebdomadam resumendis:
a) si Missa Dominicæ præcedentis resumenda sit infra Octavas privilegiatas aut Tempus Paschale;
b) si Missa de Dominica infra Octavam Nativitatis resumenda sit post diem 1 Januarii.

2) in Missis votivis (intrinsece) sollemnibus pro re gravi et publica simul causa celebratis in colore non violaceo;

3) in sequentibus Missis privilegiatis, celebratis colore non violaceo ad modum votivarum pro re gravi et publica simul causa:

a) in Missa votiva in die Creationis et Coronationis Papæ et in eorum dierum anniversario;

b) in Missa votiva in anniversario Electionis et Consecrationis Episcopi;

c) in Missis votivis celebratis in Oratione XL Horarum, aut, ex speciali indulto, in adoratione perpetua;

d) in Missis celebratis de translata sollemnitate externa alicujus Festi duplicis 1 vel 2 classis;

e) in Missa quæ celebratur de Dedicatione in ipso die Consecrationis seu Dedicationis Ecclesiæ aut Altaris;

f) in Missa, quæ celebrari potest in die suo de Patrono principali aut Titulo vel Dedicatione propriæ ecclesiæ vel etiam Titulo aut Sancto Fundatore Ordinis seu Congregationis, si per accidens impediatur;

g) in Missa, quæ celebratur magno cum populi concursu de Festo, quod transferri vel commemorari aut accidentaliter omitti debeat, aut de Mysterio, Sancto vel Beato, cujus illa die mentio fit in Martyrologio, vel in ejus appendice pro respectivis ecclesiis approbata;

h) in Missa votiva de Ssmo Corde Jesu, quæ celebrari poterit in prima Feria VI uniuscujusque mensis;

i) in Missa votiva „Reparationis injuriarum Ssmo Cordi Jesu in Ssmo Eucharistiæ Sacramento illatarum", quæ a facultatem habentibus celebrari potest Feria V ante vel Feria III post Dominicam Quinquagesimæ;

4) in sequentibus Missis privatis, ritu festivo celebratis colore non violaceo, juxta tit. IV n. 4 et 5 novarum Rubricarum (ut supra 38 et 39):

a) de Festis duplicibus majoribus vel minoribus aut semiduplicibus perpetuo vel etiam accidentaliter impeditis;

b) de quolibet Festo ad Laudes commemorato, vel de Mysterio, Sancto aut Beato, cujus illa die mentio fiat in Martyrologio vel in ejus appendice pro respectivis ecclesiis approbata.

5) in sequentibus Missis votivis privatis:

a) in Missis de Angelis, sive sint de Angelo particulari vel de Ss. Angelis Custodibus vel de Ss. Angelis generatim, quocumque die celebrentur;

b) in Missis votivis, quæ de B. Maria Virgine in Sabbato celebrantur;

c) in Missis votivis, quæ celebrantur de Sancto vel aliquo Mysterio infra Octavam quamvis simplicem eorum Festi.

B Omittitur:

I In Missis Officio conformibus:

1) quotiescumque in Officio omissus fuerit Hymnus *Te Deum*, præterquam Feria V in Cœna Domini et Sabbato sancto:

2) in omnibus Missis, quæ celebrantur colore violaceo.

II In Missis Officio non conformibus:

1) in omnibus Missis, quæ celebrantur colore violaceo;
2) in Missis Defunctorum;
3) in omnibus Missis votivis privatis, colore non violaceo celebratis, exceptis iis, quæ supra A II, n. 5 a—c indicantur.

Brevis regula: *Gloria in excelsis* semper dicitur, exceptis casibus supra sub B enumeratis.

XVIII Orationes in genere

I Orationum structura

1) Oratio (item etiam Secreta et Postcommunio) communiter sic constructa est, ut constet ex
   a) invocatione Dei,
   b) gratiarum actione pro mysterio, quod illa die recolitur, vel pro gloria aut speciali aliqua gratia Sancto vel Beato collata;
   c) postulatione, qua gratia aliqua sive beneficium a Deo poscitur,
   d) obsecratione et doxologia in honorem Ssmæ Trinitatis.

Cognomina et patria Sanctorum vel Beatorum non nominantur; in Oratione vero S. Joannis Chrysostomi et S. Petri Chrysologi nec non S. Mariæ Magdalenæ horum Sanctorum epitheta retinenda sunt.

2) Diriguntur generatim Orationes
   a) ordinarie et communiter ad Patrem;
   b) nonnullæ etiam ad Filium;
   c) numquam vero ad Spiritum Sanctum.

II Orationum distinctio

Orationes [1]) distinguuntur

1) in Orationes principales, qualis est Oratio pertinens ad Missam, quæ hic et nunc actu celebratur;
2) in Orationes accessorias, quæ adduntur interdum Orationi principali; iterum distinguuntur
   a) in Orationes commemorativas, quæ subdistinguuntur
      α) in Commemorationes speciales, quæ correspondent Commemorationibus specialibus in Officio, præsertim ad Laudes factis, ex. gr. Dominicæ, Feriæ, Vigiliæ, Festi simplificati, Festi simplicis, Octavæ. Sunt vero nil aliud nisi memoria [2]) Officii, quod ob occurrentiam, sive perpetuam sive accidentalem, Officii nobilioris integre celebrari non potest.
      β) in Commemorationes communes (ordinarias), quarum habes analogum [3]) quid in Commemorationibus communibus in Officio faciendis, quales sunt Suffragium de omnibus Sanctis et Commemoratio de Cruce. Sunt vero Orationes, quæ, nisi Commemorationes speciales occurrant,

---

[1]) Quæ de Oratione dicuntur, valent etiam de respectiva Secreta et Postcommunione. [2]) In Kalendario Ordinis S. Benedicti directe dicitur Memoria loco Commemorationis. [3]) Dico *analogum;* nam Commemorationes in Officio faciendæ in pluribus differunt ab iis in Missa faciendis, ex. gr. quoad tenorem, numerum, tempus. Non enim, quando in Officio fit Commemoratio communis, fit etiam in Missa; e contra sæpe in Missa dicendæ sunt, quamvis dictæ non sint in Officio.

in Missis ritus semiduplicis et simplicis 2 et 3 loco adduntur Orationi principali Missæ, ex. gr. Oratio *A cunctis, Concede, Ecclesiæ* vel pro Papa, de Spiritu Sancto, et aliæ; quæ quia pro Temporum et Missarum diversitate sunt diversæ, in novis Rubricis vocantur Orationes pro diversitate Temporum assignatæ.

b) in Orationes votivas, quæ interdum addi debent vel etiam possunt post Commemorationes communes vel etiam speciales; vocantur etiam Collectæ; iterum autem subdistinguuntur:

α) in votivas late dictas, quæ sch. a Rubrica aut ab Ordinario quibusdam in casibus præscribuntur addendæ, ex. gr. Oratio de Ssmo Sacramento in ejusdem expositione, Oratio ex Missa votiva in anniversario Creationis et Coronationis Papæ, Oratio ex Missa votiva in anniversario Electionis et Consecrationis Episcopi, Oratio imperata:

β) in votivas stricte dictas, quæ ad libitum Celebrantis post Orationes præscriptas addi possunt in quibusdam Missis numero sequenti accuratius determinandis, impari[1])

CLERICS LIBRARY
THEOLOGIANS
O. F. M.
PROV. S. BARBARAE

[1]) Hæc lex imparitatis servandæ valet tantum pro Orationibus stricte votivis. — Ratio vero imparitatis est juxta Benedictum XIV (De sacrificio Missæ Lib. II, cap. V n. 3), quia Ecclesia „unitatem et conjunctionem vehementer desiderat, quæ per imparem numerum exprimitur, qui, cum in æquas partes secari non possit, integritatem suam tuetur.“

semper servato numero, usque ad numerum 5 vel 7 ad summum.

III Orationum numerus

Orationum in Missa dicendarum numerus pendet generatim et per se a Missæ ritu, dignitate, sollemnitate; quare

1) ritus duplex requirit per se unicam tantum Orationem,
2) ritus semiduplex requirit per se tres Orationes,
3) ritus simplex requirit per se etiam tres Orationes; admittit vero quinque vel septem.

Dicitur per se, quia in Missa ritus duplicis interdum Commemorationes speciales sunt faciendæ vel Orationes late votivæ addendæ, ita ut etiam in tali Missa non raro tres, immo plus quam tres Orationes occurrant dicendæ; quod a fortiori fieri potest etiam in Missis ritus semiduplicis et simplicis.

Quodsi vero Commemorationes speciales non sint faciendæ nec Orationes late votivæ addendæ, in Missa ritus duplicis unica tantum dicitur Oratio, in Missis ritus semiduplicis et simplicis numerus Orationum requisitus expletur per Commemorationes communes, de quibus in sequentibus agetur.

IV Orationum conclusio

1) Orationis conclusio consistit in quartæ ejus parte, nempe in obsecratione, quæ conjuncta est cum doxologia in honorem Ssmæ Trinitatis.
2) Distinguuntur conclusiones
   a) ratione Personæ, ad quam dirigitur Oratio, nempe

α) **Patris.** Conclusionum ad Patrem directarum sunt modi 3:

1. Ordinarie concluditur: *Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.*
2. Si in principio vel in medio Orationis expressa vel etiam implicita *(Genitrix)* mentio facta fuerit Filii, conclusio erit: *Per **eumdem** Dominum.*
3. Si in fine Orationis expressa vel etiam implicita mentio facta fuerit Filii, tunc, omissis verbis *Per Dominum*, statim dicitur: *Qui tecum vivit et regnat* etc. Exemplum habes in Oratione S. Ludovici Regis die 25 Aug., in Oratione primæ Missæ in Nativitate Domini.

β) **vel Filii.** Conclusionum ad Filium directarum sunt modi 2:

1. Ordinarie concluditur: *Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.* Exemplum habes in Oratione de Ssmo Sacramento.
2. Si in Oratione mentio facta sit Patris, conclusio erit: *Qui vivis et regnas cum **eodem** Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.* Exemplum habes in Postcommunione Festi Lanceæ et Clavorum D. N. J. Ch. Aliud exemplum,

utique singulare, quia modus conclusionis differt a modo alias solito, habes in Oratione S. Antonii Patavini, die 13 Junii.

In Orationibus sive ad Patrem sive ad Filium directis, in quibus mentio fit Spiritus Sancti, conclusio erit: . . . *in unitate ejusdem Spiritus Sancti etc.* Exemplum habes in Oratione Festi Pentecostes, in Oratione Festi S. Josaphat, die 14 Novembris, in Oratione Festi Præsentationis B. M. V.

Notandum vero, quod in nonnullis Orationibus verbum *spiritus* non directe tertiam Personam Ssmæ Trinitatis significet, quod ideoque etiam cum *s* minuscula scribitur. Attamen quoad unam Orationem in recentissima Missalis recognitione mutatio facta est, cum quoad Postcommunionem Dominicæ et Feriæ II Paschæ, quæ incipit: *Spiritum nobis, Domine, tuæ caritatis infunde*, mens S. R. C. fuerit, agi hic de Spiritu Sancto, ideoque in conclusione addendum præscripserit: *in unitate ejusdem Spiritus Sancti.*

3) Plures si dicantur Orationes, prima tantum et ultima terminantur sua conclusione. In casu vero, quod Orationi substantiali Missæ addenda sit alia Oratio sub unica conclusione (ex. gr. Oratio impeditæ Missæ votivæ sollemnis vel sollemnitatis externæ vel Oratio de Ssmo Sacramento), mentio Patris vel Filii vel Spiritus Sancti in prima Oratione facta nullum influxum habet in utriusque Ora-

tionis conclusionem unicam post alteram Orationem faciendam, quæ proinde ita terminatur, ac si alias etiam terminaretur, quin primæ Orationi, omissa ejus conclusione, addita fuisset.

V Orationum Mutatio

A Orationes mutandæ propter identitatem textus

I Diversi casus

1) Eædem censentur Orationes,

a) si in duabus Orationibus habetur unius alteriusve tantum verbi variatio. Exemplum habes in Oratione *Da quæsumus* ex Missa *Statuit* de Communi Conf. Pont. et in Vigiliis Apostolorum.

b) si postulatio utriusque Orationis iisdem verbis constat, quamvis ceteræ Orationis partes aliquantulum inter se discrepent. Exemplum habes in Oratione S. Joseph et in Oratione S. Matthæi Ap.: . . ., *ut, quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur*. Postulatio est eadem.

2) Diversæ censentur Orationes,

a) si postulatio quidem utriusque Orationis sit eadem, reliquæ vero partes omnino et totaliter differant. Exemplum habes in Oratione *Ecclesiæ* et in Oratione *A cunctis*.

b) si postulatio utriusque Orationis sit diversa, quamvis reliquæ partes inter se non differant. Exemplum habes in Oratione *Deus, qui nos* ex Missa *Sacerdotes Dei* et ex Missa *Os justi* de Communi Conf. non Pont.

II Regula rubricæ

1) Textus

In Tit. VII n. 8 Rubricarum generalium Missalis sic habetur: „Cum vero dicuntur plures Orationes, et una Oratio eadem sit cum alia ibidem dicenda, Oratio ejusmodi, illa scilicet, quæ eadem est, non aliæ, commutetur cum alia de Communi vel Proprio, quæ sit diversa. Idem servetur in Secretis et Orationibus post Communionem."

2) Unde sequitur:

a) Mutanda est ergo Commemoratio, non Oratio substantialis Missæ.

b) Si duæ Commemorationes ob identitatem textus sint mutandæ, mutatur altera, non prior.

c) Si vero in Festo, quod habet aliam Orationem in Communi, Commemoratio facienda sit Feriæ eamdem Orationem habentis, non Commemoratio mutatur, sed integra Missa Festi ex alio Communi sumenda. S. R. C. 3844 ad 6.

3) Casus hucusque sæpius occurrentes

a) Feria V post Cineres occurrere potest Festum Ss. Quadraginta Martyrum die 10 Martii; in utraque Missa Secreta erat eadem.

b) Feria III post Dominicam I Quadragesimæ occurrere potest Festum S. Valentini Presb. et Mart. die 14 Februarii: in utraque Missa Secreta erat eadem.

c) Eadem Feria occurrere potest die 15 Februarii Festum Ss. Faustini et Jo-

vitæ Mm.: in utraque Missa Secreta erat eadem.

d) Eadem Feria occurrere potest die 10 Martii Festum Ss. Quadraginta Mm.: in utraque Missa Postcommunio erat eadem.

e) Feria II post Dominicam III Quadragesimæ occurrere potest Festum Ss. Perpetuæ et Felicitatis Mm.: in utraque Missa Postcommunio erat eadem.

f) Dominica IV Quadragesimæ occurrere potest die 10 Martii Festum Ss. Quadraginta Martyrum: in utraque Missa Secreta erat eadem.

g) In Festo S. Thomæ de Villanova die 22 Sept. occurrere potest Feria VI Quatuor Temporum Septembris: in utraque Missa Postcommunio erat eadem.

h) Occurrere possunt Festum S. Martini Ep. et Conf. die 11 Nov. et Dom. XXII post Pentecosten: in utraque Missa Secreta erat eadem.

Casus præpositi hucusque solvi debebant juxta Regulas supra datas; in posterum vero mutatione non amplius opus erit, quia in nova editione typica in Festis supra recensitis alia Secreta resp. Postcommunio posita est. Etiam in aliis Missis ad præcavendam occurrentiam unius ejusdem Orationis (resp. Secretæ vel Postcommunionis) plures Mutationes factæ sunt, ut infra in parte III videre licet.

B Orationes mutandæ propter identitatem objecti

I Regula: In eadem Missa non fit bis de eodem, i. e. in eadem Missa non potest fieri Commemoratio sive specialis sive

communis illius Mysterii, Sancti vel Beati, de quo Missa celebratur. In tali ergo casu

1) aut Oratio posterius dicenda mutatur seu dicitur de alio objecto, quod fit in Commemorationibus communibus,

2) aut Oratio posterius dicenda omittitur, quod fit in Orationibus late votivis, ex. gr. pro imperata ab Ordinario, nisi idem in casu alio modo providerit.

II. Exempla:

1) In Oratione *A cunctis* nomina S. Joseph aut Ss. Apostolorum Petri et Pauli omittuntur, quando de iis Missa dicatur.

2) Oratio *Defende, quæsumus, beata Maria semper Virgine intercedente* (inter diversas n° 8) sumi non potest tamquam Oratio 3ª ad libitum dicenda, si præcesserit Oratio *A cunctis.*

3) Si coram Ssmo Sacramento exposito celebratur Missa de Passione vel de S. Cruce, vel de Ssmo Corde Jesu vel de pretiosissimo Sanguine, Oratio late votiva de Ssmo Sacramento omittitur propter identitatem Mysterii.

4) Si in Dominica XXII post Pentecosten dicenda esset Oratio imperata *Deus, refugium nostrum* (inter diversas n° 12) hæc Oratio aut omittenda est omnino cum Secreta et Postcommunione, quia hæ Orationes eædem sunt ac Orationes Missæ Dominicæ, aut sumenda est, nisi Ordinarius aliter provideat, Oratio *Ne despicias* ex diversis n° 13 cum Secreta et Postcommunione.

XIX Commemorationes speciales

A In Missa diei [1])

I Principium generale

In Missa diei fiunt omnes Commemorationes, quæ præscribuntur ad Laudes, juxta Kalendarium ecclesiæ aut oratorii publici vel semipublici, in quo Missa celebratur. Dicitur

1) in Missa diei, ergo in Missa, quæ conformis est Officio recitato; de Commemorationibus faciendis in Missis Officio non conformibus sermo erit in sequ. num. B, C, D;

2) fiunt omnes Commemorationes, quæ præscribuntur ad Laudes;
   a) omnes: exceptis tamen iis, quæ infra indicantur;
   b) quæ præscribuntur ad Laudes; non illæ, quæ factæ sunt in I Vesperis aut quæ faciendæ erunt in II Vesperis; nam ob regulas concurrentiæ non raro accidit, ut in Vesperis, sive in I sive in II, omittenda sit aliqua Commemoratio, quæ tamen fit ad Laudes;

3) juxta Kalendarium
   a) ecclesiæ, aut
   b) oratorii
      α) publici vel
      β) semipublici

   } in quo Missa celebratur.

In oratoriis vero privatis Commemorationes fiunt juxta Kalendarium Sacerdotis celebrantis. Vide supra [2]) regulas de Missa in Ecclesia aliena.

---

[1]) Cfr. tit. V, num. 1 nov. Rubr. pag. 40.
[2]) pag. 211—213.

II Exceptiones

Exceptionum de regula supra tradita genera sunt duo, cum nempe ex una parte etiam ex Commemorationibus ad Laudes Officii factis nonnullæ sint in Missa omittendæ, ex altera parte quædam Commemorationes ad Laudes Officii non factæ sint in Missa addendæ.

1) Omittuntur in Missa sequentes Commemorationes ad Laudes Officii factæ; et quidem

   a) in omnibus Missis, tam conventualibus quam privatis, tam cantatis quam lectis:

      α) Commemorationes communes, quales sunt Suffragium de omnibus Sanctis et Commemoratio de Cruce.

      Quamvis enim Suffragium de omnibus Sanctis et Commemoratio de Cruce, tamquam Commemorationes communes Officii, sint analogum quid ad Commemorationes communes Missæ, tamen non sunt idem et plane diversis reguntur Rubricis; nam juxta Rubricas Breviarii sæpe in Officio Commemorationes communes sunt omittendæ, quando dicendæ sunt in Missa juxta Rubricas Missalis, et viceversa. Commemoratio quidem communis *A cunctis* in Missa pro diversitate Temporum assignata plane eadem est ac Oratio *A cunctis* in Officio ad Suffragium de omnibus Sanctis dicenda; at vero Tempus, quo dicendum est Suffragium, multo amplioris est ambitus quam Tempus Orationi *A cunctis* in Missa dicendæ assignatum.

β) Commemorationes speciales factæ ad Laudes
1) Dominicæ Palmarum,
2) Vigiliæ Pentecostes,
} ob harum Missarum privilegium unicæ Orationis.

b) in Missis cantatis et conventualibus (etiam lectis) tantum:
α) Commemoratio ad Laudes Festi duplicis 1 classis facta
1) de die Octava communi,
2) de Duplici majori,
3) de Duplici minori,
4) de Semiduplici;
β) Commemoratio ad Laudes Festi duplicis 2 classis facta
1) de die Octava simplici,
2) de Festo simplici.

Prædictæ ergo Commemorationes, omittendæ in Missis cantatis et conventualibus, faciendæ sunt tantum in Missis privatis, i. e. non conventualiter lectis de Festis supra recensitis.

2) Non omittuntur Missæ sequentes vel earum saltem Commemorationes, quamvis de iis nihil factum sit in Officio:
a) de Vigiliis communibus in Feriis Adventus extra Quatuor Tempora occurrentibus: de his enim dicitur Missa cum Commemoratione Feriæ, quamvis non sit factum Officium neque Commemoratio:
b) de Vigiliis communibus occurrentibus
α) in Feriis Quadragesimæ,
β) in Feria II Rogationum,
γ) in Quatuor Temporibus Adventus et mensis Septembris.

δ) in Dominica quoad Officium in Sabbato anticipata,
ε) in Vigilia digniori;

c) de Dominica infra hebdomadam primo resumenda;

d) de Rogationibus in diebus Litaniarum tam majorum quam minorum, de quibus, si de iis non dicatur Missa, facienda est Commemoratio in omnibus Missis, quæ non sint de Requie.

— — — —

B In Missis votivis privatis[1])

I Principium generale

Faciendæ sunt omnes Commemorationes speciales, quæ factæ sint ad Laudes Officii diei

1) in Missis votivis privatis
   a) sive cantatis,
   b) sive lectis;
2) in Missis privatis juxta tit. IV. num. 4 novarum Rubricarum ad libitum Sacerdotis celebratis sive cum sive sine cantu de Festo aut perpetuo aut accidentaliter impedito, cujus ritus est
   a) duplex majus, vel
   b) duplex minus, vel
   c) semiduplex;
3) in Missis privatis juxta tit. IV. num. 5 novarum Rubricarum ad libitum sacerdotis, sive cum sive sine cantu, ritu festivo, in diebus ritus semiduplicis aut simplicis celebratis
   a) de quolibet Officio ad Laudes Officii diei commemorato,

[1] Cfr. tit. V. num. 2 nov. Rubr. pag. 11.

b) de Mysterio, Sancto vel Beato, cujus illa die mentio fit in Martyrologio vel in ejus appendice pro respectivis Ecclesiis approbata.

II In specie animadvertendum, quod

1) in omnibus Missis non conformibus Officio diei post Orationem Missæ propriam primo dicatur Oratio de eo, de quo celebratum fuerit Officium, nisi huic Orationi præmittenda sit Commemoratio a Missa inseparabilis, ut S. Pauli Ap. in Missa S. Petri Ap., et vicissim;[1])

2) quod ea Commemoratio omittitur, de qua dicatur Missa.

C In Missis votivis sollemnibus pro re gravi et publica simul causa celebratis, item in quibusdam privilegiatis ad instar sollemnium[2])

Hucusque Missa votiva sollemnis pro re gravi et publica simul causa gaudebat privilegio unicæ Orationis, ita ut, si in aliqua ecclesia nonnisi hæc unica Missa celebranda fuerit, omnes Commemorationes fuerint omittendæ, etiam de Dominica, de Duplici II classis, de Feria majori.[3]) Excipiebantur tantum hi duo casus, quando nempe in Missis pro gratiarum actione et in Missis coram Ssmo Sacramento exposito sub unica conclusione addenda erat Orationi Missæ respectiva Ora-

[1]) Simile quid dicendum de Commemoratione S. Joseph, quæ in nonnullis ecclesiis particularibus vel religiosis Institutis ex indulto speciali addi potest in quibusdam Missis de B. M. V.

[2]) Cfr. tit. V, num. 3 nov. Rubr. pag. 42.

[3]) Decr. S. R. C. 3252 ad VI.

tio pro gratiarum actione vel de Ssmo Sacramento. Huic privilegio per novas Rubricas derogatum est.

Quoad Commemorationes faciendas in Missis de Sollemnitate externa in Dominicam translata non una erat semper atque eadem Ecclesiæ praxis et methodus, ut contradicentia sibi Decreta S. R. C. de hac materia edita manifeste ostendunt. Decr. 2974 ad 1 statuit, quod in Missis non conventualibus facienda esset Commemoratio Officii diei; Decr. 3754 ad 2, quod in Missis conventualibus nulla omnino facienda esset Commemoratio, in Missis non conventualibus tantum de Dominica. Recentissime die 28 Octobris 1913 S. R. C. Decretum edidit, in quo sequentia præscripsit: „Omnes Missæ de Sollemnitatibus in Dominica celebratis semper dicantur ut in ipso Festo, de quo agitur Sollemnitas, addita Oratione de Officio diei et aliis omnibus, quæ dicendæ essent, si Festum ipsa Dominica incidisset.“ Etiam huic Decreto diei 28 Octobris 1913 per novas Rubricas aliquo modo derogatum est.

I **Agitur** de Commemorationibus in sequentibus Missis:

1) Prima series:

a) in Missis votivis sollemnibus pro re gravi et publica simul causa celebratis,
b) in Missa de die anniversaria Creationis et Coronationis Papæ,
c) in Missa de die anniversaria Electionis, vel si ex alia sede translatus fuerit, Translationis, et Consecrationis Episcopi,
d) in Missis de die ipsa Consecrationis ecclesiæ,

e) in Missis de die Consecrationis Altaris,
f) in Missa de die Benedictionis primarii lapidis et Benedictionis sollemnis ecclesiæ,
g) in Missa de Duplici 1 classis impedito, quod juxta tit. IV, n. 2 nov. Rubr. celebratur cum magno populi concursu;
h) in Missis de sollemnitate externa Duplicis 1 classis, juxta tit. IV, num. 3 nov. Rubr. et Decr. S. R. C. d. d. 28 Oct. 1913 in Dominicam translata.

2) Secunda series:

a) in Missa de Duplici 2 classis impedito, quod juxta tit. IV, n. 2 celebratur cum magno populi concursu;
b) in Missa de sollemnitate externa Duplicis 2 classis, juxta Decr. S. R. C. diei 28 Oct. 1913 in Dominicam translata.

II Facienda est Commemoratio

1) in Missis primæ seriei:

a) de Duplici 1 classis in Missa de die ipsa Consecrationis ecclesiæ,
b) de Duplici 2 classis,
c) de Dominica quavis, ergo
α) de Dominica majori 2 classis, supposito, quod in tali Dominica una ex Missis supra recensitis celebrari valeat; ergo
1) de Dominica II, III, IV Adventus,
2) de Dominica Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ;
β) de Dominica minori (etiam infra Octavam privilegiatam),
γ) de Dominica anticipata,

δ) de Dominica, etiam quoad Officium, reposita;

d) de Feria majori non privilegiata, ergo
α) de Feriis Adventus,
β) de Feriis Quadragesimæ,
γ) de Feriis Passionis usque ad Sabbatum ante Dominicam Palmarum inclusive,
δ) de Feria II Rogationum,
ε) de Feriis Quatuor Temporum mensis Septembris;

e) de Rogationibus in Litaniis
α) majoribus,
β) minoribus;

f) de Vigiliis privilegiatis
α) Nativitatis,
β) Epiphaniæ,
γ) Pentecostes;

g) de Octavis privilegiatis Ecclesiæ universalis:
α) Nativitatis,
β) Epiphaniæ,
γ) Paschæ,
δ) Ascensionis,
ε) Pentecostes,
ζ) Corporis Christi;

h) de Octavis privilegiatis Ecclesiæ particularis;

2) in Missis secundæ seriei:

a) de Dominica quavis (in sensu, ut supra c, α—δ),
b) de die Octava privilegiata vel communi,
c) de Festo duplici majori vel minori aut semiduplici,
d) de Feria majori non privilegiata,
e) de Rogationibus,
f) de Vigilia privilegiata Epiphaniæ,

g) de Octavis privilegiatis tam in Ecclesia universali quam particulari, cum ritu semiduplici.

III Non est facienda Commemoratio:

1) in Missis primæ seriei

a) de Festo Domini minori (ritus duplicis majoris),
b) de die Octava communi,
c) de Festo duplici majori vel minori aut semiduplici,
d) de Feria VI post Octavam Ascensionis,
e) de die infra Octavam communem,
f) de die Octava simplici,
g) de sancta Maria in Sabbato,
h) de Festo simplici,
i) de Vigilia communi,
k) de Feria minori.

2) in Missis secundæ seriei:

a) de die infra Octavam communem,
b) de die Octava simplici,
c) de Feria VI post Octavam Ascensionis,
d) de sancta Maria in Sabbato,
e) de Festo simplici,
f) de Feria minori.

Attamen in Missis privatis lectis de Sollemnitate externa Festi sacratissimi Rosarii in Dominica I Octobris Commemoratio facienda est occurrentis Festi et diei Octavæ simplicis.

IV Oratio Missæ votivæ sub unica conclusione cum prima

Diebus, quibus Missæ votivæ sollemnes pro re gravi prohibentur,[1]) Oratio Missæ

[1]) Vide supra pag. 128.

votivæ additur sub unica conclusione Orationi Missæ diei, etiam conventualis. Hoc vero etiam prohibetur, et tunc nihil fit de Missa votiva:

1) in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum,
2) in Festis duplicibus 1 classis primariis Domini Ecclesiæ universalis:
   a) in Nativitate Domini,
   b) in Epiphania,
   c) Feria V in Cœna Domini,
   d) Feria VI Parasceves,
   e) Sabbato sancto,
   f) in Dominica Resurrectionis; Feria II et III permittitur;
   g) in Ascensione,
   h) in Dominica Pentecostes; Feria II et III permittitur;
   i) in Festo Ssmæ Trinitatis,
   k) in Festo Corporis Christi;
3) si Officium vel Commemoratio fuerit de identico Domini Mysterio vel de eadem Sancti persona. Identitas Mysterii Domini juxta Decr. S. R. C. d. d. 3. Julii 1896 habetur quoque, si agatur
   a) de Ssmo Sacramento,
   b) de Passione,
   c) de Cruce,
   d) de Ssmo Redemptore,
   e) de Ssmo Corde Jesu,
   f) de pretiosissimo Sanguine.

V Oratio sollemnitatis externæ sub unica conclusione cum prima

1) Sollemnitas externa prædictorum Festorum prohibetur
   a) in Dominicis majoribus, nempe
      a) in Dominicis Adventus,

β) in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam in Albis inclusive,
γ) in Dominica Pentecostes;

b) in omnibus Duplicibus 1 classis in Dominicam incidentibus.

2) In tali casu Oratio sollemnitatis externæ prohibitæ sub unica conclusione additur Orationi Missæ diei, etiam conventuali, dummodo tamen Officium vel Commemoratio non fuerit de identico Domini mysterio vel de eadem Sancti persona.

D Si plures habeantur Missæ cantatæ aut conventuales [1])

In regulis circa Commemorationes speciales hucusque expositis supponitur, quod in casu unica tantum Missa cantata aut conventualis dicatur in ecclesia aut oratorio publico vel semipublico, præter Missas ibidem fortasse lectas. In sequentibus considerandus est casus, quo plures Missæ cantatæ vel conventuales celebrentur in eadem ecclesia vel oratorio.

I Agitur de his casibus:

1) Quod in eadem ecclesia collegiata plures dicantur Missæ conventuales;
2) Quod in eadem ecclesia collegiata dicatur una Missa conventualis et insuper una vel plures Missæ diversæ cantatæ;
3) Quod in eadem ecclesia non-collegiata plures eæque diversæ dicantur Missæ cantatæ.

---

[1]) Cfr. tit. V, num. 4 nov. Rubr. pag. 44.

II Regulæ pro his casibus:

1) Quoties hi casus occurrunt, in qualibet ex istis Missis diversis nulla fit Commemoratio de aliis neque dicuntur Præfatio aut aliæ partes quæ vel propriæ sint alterius Missæ vel propriæ item alicujus Commemorationis in altera Missa factæ vel faciendæ (*Credo, Communicantes. Hanc igitur*, ultimum Evangelium).

2) Si tamen aliqua die Commemorationes occurrant de Feria vel Vigilia vel Octava (supposito, quod de his integræ Missæ non dicantur), tunc fiunt in ea ex diversis Missis hac die celebrandis, cujus rationem seu indolem participant, ita ut

a) si una tantum vel nulla ex his Missis hac die celebrandis sit de currenti die, in Missa diei currentis, aut secus in prima ex Missis ea die in cantu vel conventualiter celebratis dicantur Orationes, quæ Missis votivis conveniant,

b) si vero plures ita celebrentur Missæ ea die occurrentes, juxta Rubricas,

α) Commemoratio de Vigilia fiat in Missa Feriæ, et vicissim,

β) Commemoratio de Octava fiat in Missa Festi et vicissim,

γ) Orationes autem pro diversitate Temporum assignatæ, si juxta Missæ et Commemorationis in ea faciendæ ritum admittantur, sicut et Collectæ ab Ordinario imperatæ, in qualibet Missa dicantur, ita tamen, ut

1) Orationes, quæ infra Octavam vel in Vigilia aliter quam pro Tempore occurrenti fuerint præ-

scriptæ, non dicantur nisi in Missis de Octava aut de Vigilia vel cum earum Commemoratione celebratis,

2) in ceteris vero Missis dicantur Orationes Tempori assignatæ.

XX Commemorationes communes

De his Commemorationibus communibus, quæ in Rubricis vocantur Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, expendendum est:

A Quæ sint

1) Oratio ad poscenda suffragia Sanctorum: *A cunctis;*
2) Oratio pro vivis et defunctis: *Omnipotens;*
3) Oratio de Spiritu Sancto: *Deus, qui corda fidelium;*
4) Oratio pro Papa: *Deus, omnium fidelium pastor;*
5) Oratio contra persecutores Ecclesiæ;
6) Oratio de S. Maria:
   a) pro Tempore Adventus: *Deus, qui de beatæ,*
   b) pro Tempore Nativitatis: *Deus, qui salutis,*[1])
   c) pro ceteris anni Temporibus: *Concede;*
7) Oratio ad libitum eligenda.

[1]) Notatu dignum, quod loco Secretæ *Muneribus*, quæ identica est cum Secreta ex Missa *In virtute*, substituta sit Secreta *Tua, Domine, propitiatione* ex Missa *Salve, sancta Parens.*

B In quibus Missis dicantur:

Exclusis Missis ritus duplicis, in quibus omittuntur, dicuntur:

I in Missis de Officio semiduplici, ergo
1) de Dominica quavis ritus semiduplicis:
α) de Dominica I classis,
β) de Dominica II classis,
γ) de Dominica minore, etiam anticipata;
2) de Vigilia privilegiata Epiphaniæ:
3) de Festo semiduplici;
4) de die infra Octavam:
α) privilegiatam,
β) communem;
5) de Feria VI post Octavam Ascensionis;

II in Missis de Officio simplici, ergo
1) de Feria:
α) majori,
β) minori;
2) de Vigilia communi;
3) de die Octava simplici;
4) de S. Maria in Sabbato;
5) de Festo simplici;
6) de Dominica infra hebdomadam resumenda;

III in Missis votivis pro re non gravi vel pro privata tantum causa.

C Quo numero dicantur.[1])

I Nulla Oratio pro diversitate Temporum assignata dicitur

1) in Missis supra descriptis, quando facta sit Commemoratio alicujus Officii duplicis, etiam in Missa de Feria majori et in Missa votiva pro Sponsis;
2) in Missa Dominicæ, quando facta sit Commemoratio Octavæ privilegiatæ vel communis aut diei Octavæ simplicis;
3) quando Commemoratio facta sit impeditæ alicujus Missæ votivæ pro re gravi et publica simul causa;
4) quando addita sit Orationi principali sub unica conclusione Oratio sollemnitatis externæ in Dominicam translatæ;
5) in Dominica Palmarum;
6) in Vigilia Pentecostes;
7) quando in Missa de Officio semiduplici aut simplici factæ sint jam duæ Commemorationes speciales;
8) quando in Missa de Officio semiduplici aut simplici a Dominica Passionis usque ad Sabbatum in Albis inclusive et infra Octavam Pentecostes occurrenti facta sit jam Commemoratio una specialis; hæc valent de Missis tam de Tempore quam de Sanctis;
9) in omnibus Missis votivis pro re non gravi vel pro privata tantum causa celebratis, quando præter Commemorationem Officii diei secundo semper loco addendam facta sit alia insuper Commemoratio specialis.

---

[1]) Alio modo habes regulas circa hanc quæstionem supra in tit. VI num. 1 novarum Rubricarum. pag. 45—47.

II Una tantum Oratio pro diversitate Temporum assignata dicitur:

1) in omnibus Missis de Officio semiduplici aut simplici — et quidem tam de Tempore quam de Sanctis — celebratis a Dominica Passionis usque ad Sabbatum in Albis inclusive et per Octavam Pentecostes, quando nulla facta sit Commemoratio specialis;

2) in omnibus Missis de Officio semiduplici aut simplici ceteris anni temporibus celebratis, quando una tantum facta sit Commemoratio specialis;

3) in Missis pro re non gravi vel pro privata tantum causa celebratis, in quibus præter Commemorationem Officii diei facta non sit alia Commemoratio specialis.

III Duæ Orationes pro diversitate Temporum assignatæ dicuntur in ceteris omnibus casibus, in quibus Missa celebratur de Officio semiduplici aut simplici.

D Quibus Temporibus dicantur:

I Per Adventum, i. e. a Dominica I Adventus usque ad diem 23 Decembris inclusive, exceptis

1) Missis de B. Maria Virgine,
2) Missis, in quibus de eadem fit Commemoratio,
3) Missis votivis de Omnibus Sanctis,

2ª Oratio de S. Maria *Deus, qui de beatæ,*
3ª Oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa.

II A Nativitate Domini usque ad diem 2 Februarii inclusive, exceptis
1) Missis de beata Maria Virgine,
2) Missis, in quibus de eadem fit Commemoratio,
3) Missis votivis de omnibus Sanctis.

2ª Oratio de S. Maria *Deus, qui salutis,*
3ª Oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa.

III A die 3 Februarii usque ad Feriam III post Dominicam Quinquagesimæ, et a Dominica I post Pentecosten usque ad Sabbatum ante Dominicam I Adventus inclusive, exceptis
1) omnibus Missis de Octavis,
2) Missis, in quibus de Octava fit Commemoratio,
3) omnibus Missis de Vigiliis,
4) Missis, in quibus de Vigilia fit Commemoratio,
5) Missis de B. Maria Virgine,
6) Missis, in quibus de eadem fit Commemoratio,
7) Missis votivis de Omnibus Sanctis;

2ª Oratio *A cunctis,*
3ª Oratio ad libitum eligenda.

IV	A die 3 Februarii usque ad Feriam III post Dominicam Quinquagesimæ, et a Dominica I Pentecostes usque ad Sabbatum ante Dominicam I Adventus inclusive 1) in sequentibus Missis: a) in Missis de Octava privilegiata vel communi, b) in Missis de die Octava simplici, c) in Missis, in quibus de Octava privilegiata vel communi aut de die Octava simplici fit Commemoratio, 2) exceptis saltem commemoratis a) Octavis de B. Maria Virgine aut de Omnibus Sanctis, b) Vigiliis de B. Maria Virgine aut de Omnibus Sanctis,	2ª Oratio de S. Maria *Concede*, 3ª Oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa.
V	A die 3 Februarii usque ad Sabbatum post Dominicam IV Quadragesimæ et a Dominica I post Pentecosten usque ad Sabbatum ante Dominicam I Adventus	2ª Oratio de S. Maria *Concede*, 3ª Oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa.

1) in sequentibus Missis: a) de Vigiliis communibus, b) in Missis, in quibus de Vigilia communi fit Commemoratio, 2) exceptis saltem commemoratis a) Vigiliis de B. Maria Virg., b) Vigilia de Omnibus Sanctis,	2ª Oratio de S. Maria *Concede*, 3ª Oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa.
VI A Feria IV Cinerum usque ad Sabbatum post Dominicam IV Quadragesimæ inclusive, exceptis 1) Missis de B. Maria Virgine, 2) Missis, in quibus de eadem fit Commemoratio, 3) Missis de Vigiliis communibus, 4) Missis, in quibus de Vigilia aliqua communi fit Commemoratio; 5) Missis votivis de Omnibus Sanctis,	2ª Oratio *A cunctis*, 3ª Oratio *Omnipotens*.
VII A Dominica Passionis usque ad Sabbatum in Albis inclusive, et per Octavam Pentecostes	2ª Oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa, 3ª Oratio communis non dicitur.

VIII A Feria II post Dominicam in Albis usque ad Feriam VI post Octavam Ascensionis inclusive, exceptis 1) Missis de B. Maria Virgine, 2) Missis, in quibus de eadem fit Commemoratio, 3) Missis votivis de Omnibus Sanctis,	2ª Oratio de S. Maria *Concede*, 3ª Oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa.
IX In sequentibus Missis: 1) in omnibus Missis de B. Maria Virgine, ad quam refertur etiam Missa de Festo Circumcisionis Domini, ejusque Octava, sicubi hæc celebrari debeat, 2) in Missa de Vigilia Omnium Sanctorum, 3) in Missa de Octava Omnium Sanctorum, 4) in Missa votiva Omnium Sanctorum,	extra Tempus num. VII descriptum 2ª Oratio de Spiritu Sancto, 3ª Oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa. Quodsi de B. M. V. vel de Omnibus Sanctis fiat tantum Commemoratio, 3ª Oratio de Spiritu Sancto, si 3ª Oratio de Tempore dicenda sit.

E De quibusdam Orationibus communibus in specie

I Oratio ad libitum eligenda

1) Ad libitum: Sensus non est, quod Celebrantis arbitrio permissum sit, utrum

velit 3am Orationem dicere necne; nam 3a Oratio dici debet; sed sensus est, quod, cum certa quædam assignata non sit, Celebrantis arbitrio permittitur, eam, quam velit, sibi eligere.

2) eligenda tamquam 3a Oratio
   a) a die 3 Februarii usque ad Feriam III post Dominicam Quinquagesimæ inclusive et a Dominica I post Pentecosten usque ad Sabbatum ante Dominicam I Adventus inclusive,
   b) in Missis de Officio semiduplici aut simplici celebratis, exceptis Missis, quæ dicuntur aut in quibus fit saltem Commemoratio
      α) de Octava privilegiata vel communi aut de die Octava simplici,
      β) de B. Maria Virgine,
      γ) de Vigiliis communibus,
      δ) de Omnibus Sanctis;
   c) arbitrio
      α) Præfecti Capituli vel Superioris communitatis
         1. in Missis conventualibus,
         2. in Missis cantatis.
      β) Sacerdotis celebrantis in Missis privatis lectis et, ubi Capitulum vel Communitas desit, etiam cantatis.

3) Eligi potest hæc 3a Oratio
   a) ex Orationibus diversis in Missali post Missas votivas exstantibus,
   b) ex omnibus Missis, quæ tamquam votivæ celebrari possunt.[1])

4) Eligi non potest
   a) ex Missis, quæ tamquam votivæ celebrari non possunt

[1]) Vide supra pag. 120 s.

α) ex Missis de aliqua Dominica, Feria, Vigilia, de Beato,
β) de Nativitate, Epiphania, Pascha, Ascensione etc.,
γ) de Nativitate, Assumptione B. M. V.

b) ex Orationibus diversis pro Defunctis, quas non nisi Orationes stricte votivas post Orationes communes addere licet, et hæc quidem tantum in Missis de Festis simplicibus et Feriis per annum extra Tempus Paschale;

c) nec eligi possunt tales Orationes, in quibus mentio fit alicujus Personæ sanctæ in Orationibus præcedentibus jam commemoratæ. Hinc, cum in Oratione *A cunctis* 3am Orationem semper præcedente mentio fiat S. Mariæ Virg., S. Joseph, Ss. Apostolorum Petri et Pauli, Tituli Ecclesiæ, non potest eligi Oratio, in qua unius ex his iterum mentio fiat; hinc etiam excluduntur Oratio 1. ex diversis *Concede*, et Oratio 8. pro Congregatione et familia, quia in iis sermo est de B. Maria Virgine.[1])

5) Substitui tamen ei potest abhinc Collecta, si qua exstet, ab Ordinario imperata, qua concessione per novas Rubricas facta Decr. S. R. C. contrarium 2198 abrogatum est. — Substitui potest Collecta, non debet; in Missis ergo privatis lectis et, ubi Capitulum vel Communitas desit, etiam cantatis, potest etiam dici Collecta 4o loco post Orationem 3am libere electam; in Missis conventualibus et cantatis procedatur

[1]) Attamen juxta Decr. S. R. C. 2986 ad 2 post Orationem *A cunctis* eligi potest 3. Oratio contra persecutores Ecclesiæ *Ecclesiæ*, quamvis utraque Oratio iisdem fere verbis terminetur.

ad nutum Præfecti Capituli vel Superioris Communitatis.

II Oratio *A cunctis*

1) Occurrit dicenda tamquam 2ª vel, si Commemoratio specialis præcesserit, etiam 3ª Oratio pro diversitate Temporum assignata,

a) sequentibus Temporibus

α) a die 3 Februarii usque ad Sabbatum post Dominicam IV Quadragesimæ inclusive,

β) a Dominica I post Pentecosten usque ad Sabbatum ante Dominicam I Adventus inclusive,

b) exceptis Missis,

α) quæ dicuntur

1. de Octava privilegiata vel communi aut de die Octava simplici,
2. de B. Maria Virgine,
3. de Vigiliis communibus,
4. de Omnibus Sanctis,

β) in quibus Commemoratio facta sit

1. de Octava privilegiata vel communi aut de die Octava simplici,
2. de B. Maria Virgine,
3. de Vigilia communi,
4. de Omnibus Sanctis.

2) Nova Rubrica specialis de hac Oratione.

In præfata Oratione *A cunctis*, sicut et in ejus Postcommunione ad litteram N. exprimitur nomen Titularis propriæ ecclesiæ, dummodo Titulus non sit Persona divina, vel Mysterium Domini, aut de ipso Titulo non dicatur Missa aut facta non sit Commemoratio, aut illius nomen

non sit in eadem Oratione *A cunctis* expressum; ac nomina Ss. Angelorum et sancti Joannis Baptistæ, si Titulares fuerint, præponuntur nomini S. Joseph. In hisce autem omnibus casibus omittuntur verba *atque beato N.* Si vero Missa vel Commemoratio fuerint de sancto Joseph aut de sanctis Apostolis Petro et Paulo, in Oratione et Postcommunione omittuntur verba, quæ eos respiciunt.

3) Mentio Tituli propriæ ecclesiæ

a) Tituli mentio fit in Oratione et Postcommunione;

b) Quodsi ecclesia plures habeat Sanctos Titulares, omnes exprimantur, dummodo sint æque principales; secus tantum principalior;

c) sub nomine ecclesiæ intelligitur

α) ecclesia consecrata vel saltem sollemniter benedicta (S. R. C. d. 3752, ad 1);

β) oratorium publicum consecratum vel sollemniter benedictum;

γ) in seminariis vel aliis piis domibus propriam ecclesiam non habentibus oratorium principale sollemniter benedictum (S. R. C. d. 4110); si vero prædicta seminaria etc. præter oratorium semipublicum habeant ecclesiam, in oratorio nominatur Titulus ecclesiæ, non vero oratorii;

δ) Tituli fit mentio ejus ecclesiæ, in qua hic et nunc actu celebratur; Celebrans ergo in ecclesia aliena, non suæ, sed alienæ ecclesiæ Titulum nominabit;

ε) per se mentio non fit Patroni loci, nec Tituli altaris vel propriæ capellæ in ecclesia exstantis (S. R. C. 2967, ad 7);

ζ) Celebrans in oratorio proprium Titulum non habente nominabit Patronum loci vel, eo deficiente, Patronum Diœcesis, non vero Titulum ecclesiæ parochialis, intra cujus limites situm est oratorium (S. R. C. d. 2814, ad 1);

η) in ecclesiis, quarum Titulus est B. Maria Virgo, nominari potest Patronus loci vel diœcesis, dummodo fiat etiam in Officio ad Suffragium, et supposito, quod exstet consuetudo immemorabilis (S. R. C. d. 4054 ad 5);

ϑ) Regulares præter Titulum ecclesiæ addere possunt etiam nomen Sancti Fundatoris resp. Patroni principalis Ordinis vel Congregationis. (S. R. C. 3758.)

ι) Ordinem quod attinet, servetur Ordo Litaniarum; nominantur ergo Angeli ante S. Joannem Baptistam, S. Joannes Baptista ante S. Joseph, S. Joseph ante Apostolos, Apostoli ante Martyres etc.

κ) Non fit mentio Tituli ideoque etiam verba *atque cum beato N.* omittuntur:

1. Si Titulus sit aliqua divina Persona, ex. gr. Spiritus Sanctus, vel Ssma Trinitas;
2. Si Titulus sit aliquod Domini mysterium, ex. gr. Ssmum Nomen Jesu, Ssmum Cor Jesu, Jesus Redemptor, Salvator, Pretiosissimus Sanguis D. N. J. C., S. Crux;
3. si de Titulo celebretur Missa (votiva);
4. si de Titulo facta sit ante Orationem *A cunctis* Commemoratio specialis;

5. si in eadem Oratione *A cunctis* illius nomen jam fuerit expressum; ex. gr. si Titulus sit B. Maria Virgo, vel S. Joseph, vel S. Petrus, vel S. Paulus vel uterque.

4) Cum de eodem bis Commemorationem facere non liceat, sequitur, quod, si Missa celebretur de S. Joseph, de Ss. Apostolis Petro et Paulo, aut de iisdem Sanctis præcesserit Commemoratio specialis, respectivi Sancti mentio non amplius fiat in Oratione *A cunctis* ideoque verba, quæ eum respiciunt, sint omittenda.

In specie notanda videntur sequentia:

a) Si celebrata fuerit Missa votiva de omnibus Ss. Apostolis, et illo tempore occurrat Oratio *A cunctis* dicenda, nomina Ss. Apostolorum Petri et Pauli retinentur.

b) Tit. IX n. 15 Rubricarum generalium Missalis et Decretum S. R. C. 3612 ad 1, juxta quæ in Missa votiva de Ss. Apostolis Petro et Paulo loco Orationis *A cunctis* dicenda sit Oratio *Concede,* abrogatum est. Retinetur ergo in casu Oratio *A cunctis,* omittuntur tamen in ea nomina Ss. Apostolorum Petri et Pauli.[1])

c) Si Missa fuerit de B. Maria Virgine, vel in aliqua Missa facta sit saltem Commemoratio B. Mariæ Virginis, juxta Rubricas tamquam Oratio pro diversitate Temporum assignata non dicitur Oratio *A cunctis,* sed Oratio de Spiritu Sancto. Attamen in talibus Missis addi potest, quando per

[1]) Vide supra pag. 47 notam 97.

Rubricas licet, Oratio *A cunctis* tamquam Oratio stricte votiva, et tunc adhibendum est alterum istius Orationis formulare in Missali recenter receptum, in quo, sicut et in altero Officii Suffragio, mentio B. Mariæ Virginis expuncta est.

III Oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa

1) Orationes prædictæ occurrunt dicendæ

a) tamquam 2ª Oratio pro diversitate Temporum assignata, in omnibus Missis de Officio semiduplici aut simplici tam de Tempore quam de Sanctis et in Missis votivis pro re non gravi vel privata tantum causa celebratis

α) a Dominica Passionis usque ad Feriam IV Majoris Hebdomadæ inclusive,

β) a Feria IV infra Octavam Paschæ usque ad Sabbatum in Albis inclusive,

γ) a Feria IV infra Octavam Pentecostes usque ad Sabbatum sequens inclusive;

b) tamquam 3ª Oratio in iisdem Missis dicenda, quoties præcesserit tamquam 2ª Oratio

α) Oratio *Deus, qui de beatæ,* vel

β) Oratio *Deus, qui salutis,* vel

γ) Oratio *Concede,* vel

δ) Oratio de Spiritu Sancto.

2) Utram Orationem Sacerdos celebrans dicere velit juxta Rubricas, ejus omnino libero arbitrio permissum est; nam, ut ait van der Stappen,[1]) „nullibi in Missali

[1]) Sacra Liturgia ² II pag. 102.

indicatur aliqua convenientiæ ratio alternis vicibus has Orationes dicendi; nam editiones typicæ Missalis eodem semper ordine utramque assignant[*].[1]) Sede vero vacante Apostolica, necessario eligenda est, ut patet, Oratio *Ecclesiæ* contra persecutores Ecclesiæ, illique minime substituere licet Orationem ex Missa votiva pro eligendo Summo Pontifice tamquam Commemorationem communem; potest vero hæc Oratio addi hoc in casu tamquam Oratio stricte votiva post Commemorationes communes, quando per Rubricas licet.

3) In casu, quo alterutra a Rubricis præscribitur tamquam Commemoratio communis, et una ex eis simul imperata est ab Ordinario tamquam Oratio late votiva, juxta jus hucusque vigens (S. R. C. d. d. 24 Maji 1901 ad 1),[2]) nulla quidem amplius relinquebatur libertas, neque pro Orationis electione neque pro ordine, quo erant dicendæ; nam ea, quæ non est imperata ab Ordinario, dicenda erat prior tamquam Commemoratio communis, et altera, quæ imperata est ab Ordinario, tamquam Oratio late votiva post Orationem, quæ dicta erat tamquam Oratio pro diversitate Temporum assignata: nullo modo ergo per dictam solam imperatam satisfieri poterat duplici præcepto, Rubricæ nempe et Ordinarii; erat ergo in casu dicenda semper utraque, et quidem ita, ut imperata diceretur ulteriore loco.

---

[1]) Quod valet etiam de recentissima editione typica. [2]) Hoc decretum in tomo VI Decretorum authent. S. R. C. non receptum est.

Hæc praxis hucusque vigens per novarum Rubricarum titulum VI, n. 4.[1]) abrogata est statuentem, ut, si imperata fuerit Oratio contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa, in diebus in quibus alterutra a Rubrica præscribitur, unica Oratione utrumque adimpletur præceptum, Rubricæ nempe et Ordinarii.

IV Orationes de B. Maria Virgine

Orationes de B. Maria Virgine pro diversitate Temporum assignatæ sunt tres:

1) Oratio *Deus, qui de beatæ,* quæ dicitur a Dominica I Adventus usque ad diem 23 Decembris inclusive;
2) Oratio *Deus, qui salutis,* quæ dicitur a Nativitate Domini usque ad diem 2 Februarii inclusive;[2])
3) Oratio *Concede,* quæ dicitur ceteris anni temporibus, quandocumque Oratio de B. Maria Virgine a Rubricis præscribitur.

Notandum tamen hanc Orationem *Concede* non esse identicam cum Oratione *Concede* ad poscenda suffragia Sanctorum, quæ in septima Missalis parte, nempe ad Orationes diversas, primo loco ponitur.

XXI Orationes late votivæ

A Notiones præviæ

I Quid sint.

Orationes votivæ late dictæ sunt eæ Orationes, quæ interdum in Missa dici debent

[1]) Vide supra pag. 51. [2]) Secreta huic Orationi respondens mutata est; loco Secretæ *Muneribus* in posterum dicendá Secreta *Tua, Domine.*

post Commemorationes speciales et communes, sed ante Orationes votivas stricte dictas, quas Sacerdos pro suo arbitrio in Missa addere potest.

II Earum numerus et ordo

Orationes votivæ late dictæ sunt quinque, et, si plures sint dicendæ, ordo inter ipsas servandus est sequens:

1) Oratio de Ssmo Sacramento;
2) Oratio in anniversario creationis et coronationis Summi Pontificis;
3) Oratio in anniversario electionis vel, si Episcopus ex alia Sede translatus fuerit, translationis, et consecrationis Episcopi;
4) Oratio in anniversario propriæ ordinationis sacerdotalis;
5) Oratio imperata ab Ordinario.

III Earum distinctio

Ratione auctoris eas præscribentis distinguuntur duo genera:

1) præscriptæ vel saltem permissæ a Rubrica:
   a) Oratio de Ssmo Sacramento,
   b) Oratio pro Summo Pontifice
   c) Oratio pro Episcopo
   d) Oratio pro seipso Sacerdote

   } in prædictis anniversariis.

2) præscriptæ ab Ordinario.

B Oratio de Ssmo Sacramento

Oratio de Ssmo Sacramento dicitur in quibusdam Missis ratione expositionis ejusdem Ssmi Sacramenti. Regula circa hanc Orationem infra statuenda ut melius perspiciatur, prius exponenda sunt

I Varia expositionis genera

Distinguuntur duo expositionis modi:

1) Expositio sollemnissima, quæ locum habet in Oratione Quadraginta Horarum non interruptarum; circa hanc habentur speciales regulæ eique magna concessa sunt privilegia. — Cui in plurimis diœcesibus æquiparatur quoad privilegia etiam Adoratio perpetua.

2) Expositio ordinaria, quæ publice fit diversis occasionibus extra Orationem Quadraginta Horarum in sensu stricto, vel Adorationem perpetuam; ex. gr. quæ fit
   a) ad instar Orationis Quadraginta Horarum, uti fieri solet in perplurimis ecclesiis in triduo ante initium sollemne Quadragesímæ, vel etiam in aliis occasionibus per annum; vocatur Oratio Quadraginta Horarum in sensu latiore, quamvis quadraginta horarum numerus sæpissime non sit completus et præsertim, quod est maximi momenti, nocte interruptus, cum expositio fiat tantum tempore diurno;
   b) quibusdam in ecclesiis aut oratoriis singulis mensibus vel etiam hebdomadis per majorem diei partem, i. e. per 8 circiter usque ad 10 horas;
   c) item in quibusdam Festis, præsertim iis, quæ peraguntur cum magno populi concursu, etiam per magnam diei partem;
   d) denique quæ fit tantum tempore celebrationis Missæ.

II Regula quoad Orationem de Ssmo Sacramento

Hæc una eademque regula variis modis exponi potest, prouti magis ratio habetur expo-

sitionis modi vel qualitatis Missæ, quæ celebratur.

1. Respectu expositionis

a) In expositione facta occasione Orationis Quadraginta Horarum seu in Adoratione perpetua.

α) Oratio de Ssmo Sacramento dici non potest in Missis ad quodcumque ecclesiæ Altare, non excepto expositionis Altari, lectis neque in Missis ad aliud ecclesiæ Altare quam Altare expositionis cantatis, si occurrat

1. Duplex 1 vel 2 classis,
2. Dominica Palmarum,
3. Vigilia Nativitatis Domini,
4. Vigilia Pentecostes.

β) Oratio de Ssmo Sacramento dici debet extra 4 casus modo dictos in omnibus Missis ad quodcumque Altare ecclesiæ sive cum sive sine cantu celebratis.

b) In reliquis omnibus expositionibus.

α) Oratio de Ssmo Sacramento dici non potest in Missis ad quodcumque ecclesiæ Altare, non excepto ipso expositionis Altari, lectis neque in Missis ad aliud ecclesiæ Altare quam expositionis Altare cantatis,

1. si occurrat
   a. Festum duplex 1 vel 2 classis.
   b. Dominica Palmarum,
   c. Vigilia Nativitatis Domini,
   d. Vigilia Pentecostes.
2. vel si celebretur Missa votiva sollemnis.

β) dici debet in omni Missa ad expositionis Altare cantata, quodcumque Festum vel Officium occurrat.

γ) dici potest, sed non debet in Missis tempore expositionis ad quodcumque Altare, non excepto ipso expositionis Altari, lectis et in Missis ad aliud ecclesiæ Altare quam expositionis Altare cantatis, nisi occurrat

1. Duplex 1 vel 2 classis,
2. Dominica Palmarum,
3. Vigilia Nativitatis Domini,
4. Vigilia Pentecostes.

2. Ratione qualitatis Missæ

Oratio de Ssmo Sacramento

a) in Missa cantata ad expositionis Altare semper dici debet.

b) in Missa lecta ad quodcumque Altare, et in Missa cantata ad aliud Altare quam expositionis Altare

α) dici non potest

1. in Festo duplici 1 vel 2 classis,
2. in Dominica Palmarum,
3. in Vigilia Nativitatis Domini,
4. in Vigilia Pentecostes;

β) dici debet in Oratione Quadraginta Horarum, præter 4 casus modo dictos.

γ) dici potest, sed non debet extra Orationem Quadraginta Horarum.

III Orationis locus

Quando juxta regulam bifarie modo expositam Oratio de Ssmo Sacramento dici debet vel saltem potest, varius est ejus locus, pro varietate Missæ, in qua additur. Considerandi sunt sequentes casus:

1) In Missa ad expositionis Altare cantata

a) de Festo duplici 1 vel 2 classis,
b) de Dominica Palmarum,

c) de Vigilia Nativitatis Domini,
d) de Vigilia Pentecostes,
e) in Missa votiva sollemni,

Oratio de Ssmo Sacramento substantiali Missæ Orationi addenda est sub unica conclusione.

2) In reliquis omnibus Missis Oratio de Ssmo Sacramento dicitur

a) post Commemorationes omnes speciales et communes a Rubricis præscriptas, sed

b) ante

α) Orationes ceteras late votivas.

Exceptio unica admittitur juxta novas Rubricas (Tit. VI. n. 1); quando nempe tamquam Commemoratio communis dicenda est 3ª Oratio ad libitum, huic substituere licet Orationem imperatam ab Ordinario, si habetur. In hoc ergo unico casu juxta strictam Rubricæ interpretationem Oratio imperata præcedit Orationem de Ssmo Sacramento, quamvis alias inter Orationes late votivas Oratio de Ssmo Sacramento primum teneat locum et Oratio imperata ultimum.[1])

β) Orationes stricte votivas.

[1]) Valde tamen conveniens esset, quod privilegium hoc Orationi imperatæ per Rubricas concessum, extenderetur quoque ad reliquas 3 Orationes late votivas (a Rubricis præscriptas) eam quoad ordinem præcedentes. Immo videtur probabile, quod etiam sine expressa S. R. C. declaratione Oratio quoque de Ssmo Sacramento et reliquæ duæ Orationes late votivæ substitui possint Orationi ad libitum hoc eo magis, cum sint Orationes a Rubrica præscriptæ, quod non valet de Oratione late votiva imperata ab Ordinario.

IV Casus quidam speciales

1) Omittenda est Oratio de Ssmo Sacramento, etiamsi alias dici deberet, ratione nempe identitatis Mysterii, quæ juxta Decr. S. R. C. 3924 ad 4 adesse censenda est, quando Missa celebratur
   a) de Passione,
   b) de S. Cruce,
   c) de Ssmo Redemptore,
   d) de Ssmo Corde Jesu,
   e) de Pretiosissimo Sanguine.

2) Si in Missa aliqua sollemni vel cantata præter Hostiam pro sacrosancto Sacrificio altera consecratur Hostia pro expositione,
   a) dicenda est Oratio de Ssmo Sacramento, si immediate post hanc Missam Hostia hæc consecrata collocatur in throno expositionis vel etiam processionaliter circumfertur. (S. R. C. d. 2598.)
   b) omittenda est, si non immediate exponitur in throno expositionis nec processionaliter circumfertur, sed reconditur in tabernaculo.

C Oratio in anniversariis Summi Pontificis et Episcopi [1])

I De utroque anniversario Summi Pontificis

1) Agitur de anniversario
   a) Creationis
   b) Coronationis
   } Summi Pontificis.

2) Dicenda est Oratio ex Missa votiva ad calcem Missalis
   a) in Missis privatis, quæ non sint de Requie, celebratis Romæ in basilicis pa-

[1]) Cfr. tit. II, num. 4—6 nov. Rubr., pag. 21—22.

triarchalibus, in quibus cantatur Missa sollemnis de anniversario;

b) in reliquis omnibus Missis, quæ non sint de Requie, tum Romæ tum extra Urbem in toto orbe terrarum sive cum sive sine cantu celebratis.

3) Omittenda est, si alterutrum anniversarium accidentaliter incidat in diem, quæ gaudet privilegio unicæ Orationis:

a) in Dominicam Palmarum,
b) in Triduum sacrum Majoris Hebdomadæ,
c) in Vigiliam Pentecostes,
d) in diem in qua Commemoratio Missæ votivæ sub unica conclusione prohibetur, Duplicibus nempe 1 classis primariis Domini Ecclesiæ universalis, exceptis Feria II et III Paschæ et Pentecostes.

4) Transferenda est,

a) si alterutrum anniversarium pro tota Ecclesia
   α) perpetuo occurrat cum Festo duplici 1 classis,
   β) in diem incidat 2 Novembris, ubi peragitur Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum: si vero dies 2 Novembris incidat in Dominicam, non transfertur, quia nullum impedimentum,
   γ) incidat in Vigiliam Nativitatis Domini, die 24 Decembris,

b) in proximiorem diem liberam a Festo duplici 1 classis.[1])

[1]) Quodsi autem pro particulari tantummodo ecclesia impediatur perpetuo, videtur omittenda.

II De utroque anniversario Episcopi

1) Agitur de anniversario
   a) Electionis (intelligi debet dies, qua Episcopus in Consistorio fuerit proclamatus; non vero dies, in qua forte antea fuerit designatus vel a Capitulo electus) vel si Episcopus ab alia Sede fuerit translatus, Translationis,
   b) Consecrationis.
2) Dicitur Oratio desumenda ex Missa votiva ad calcem Missalis
   a) tantum accedente Episcopi mandato,
   b) in Missis privatis, quæ non sint de Requie, celebratis in ecclesia Cathedrali et Collegiatis, ubi cantatur Missa sollemnis de anniversario,
   c) in Missis reliquis omnibus, quæ non sint de Requie, in universa diœcesi celebratis
      α) a clero tam sæculari quam regulari,
      β) sive cum sive sine cantu.
3) Omittenda est, si alterutrum anniversarium accidentaliter incidat in diem, quæ gaudet privilegio unicæ Orationis:
   a) in Dominicam Palmarum,
   b) in Triduum sacrum Majoris Hebdomadæ,
   c) in Vigiliam Pentecostes,
   d) in diem, in qua Commemoratio Missæ votivæ sub unica conclusione prohibetur, Duplicibus nempe 1 classis primariis Domini Ecclesiæ universalis, exceptis Feriis II et III Paschæ et Pentecostes.
4) Transferenda est
   a) si alterutrum anniversarium
      α) perpetuo occurrat
         1. cum Festo duplici 1 classis, vel

2. cum alterutro anniversario Summi Pontificis;
β) si incidat in
1. diem 2 Novembris,
2. in Vigiliam Nativitatis Domini;
b) in proximiorem diem liberam
α) a Festo duplici 1 classis, vel
β) ab alterutro anniversario Summi Pontificis.[1])

III Orationum locus

Utraque Oratio in utriusque Præsulis utroque anniversario additur ultimo loco post Orationes a Rubrica præscriptas, ergo

1) post
a) Commemorationes speciales,
b) Commemorationes communes,
c) Orationem late votivam de Ssmo Sacramento,
} si dicendæ sint;

Si vero alterutrum anniversarium incidat in Duplex 1 classis, quod non sit primarium Domini Ecclesiæ universalis (exceptis Feria II et III Paschæ et Pentecostes) vel in Duplex 2 classis, et facienda non sit aliqua Commemoratio specialis (ex. gr. Dominicæ) aut addenda non sit Oratio late votiva de Ssmo Sacramento, dicitur Oratio de anniversario sub unica conclusione cum Oratione substantiali Missæ.

2) ante
a) Orationem ab Ordinario imperatam, ex-

[1]) Quodsi autem pro particulari tantummodo ecclesia perpetuo impediatur, videtur omittenda.

cepto casu, quo hæc substituitur Orationi 3. ad libitum,

b) Orationes stricte votivas.

D Oratio in anniversario propriæ Ordinationis sacerdotalis [1])

I Quæ et qualis sit Oratio.

In anniversario propriæ Ordinationis sacerdotalis cuilibet Sacerdoti licet addere Orationem pro seipso Sacerdote, quæ inter Orationes diversas est N° 20. Nemo tenetur ad eam addendam, sed tantum datur per Rubricam facultas. Est Oratio late votiva.

II Hujus Orationis locus

Hæc Oratio pro seipso Sacerdote dicitur juxta Rubricam (tit. VI, n. 3 novarum Rubricarum)

1) post Orationes a Rubricis præscriptas, nempe
   - a) post Commemorationes speciales,
   - b) post Commemorationes communes,
   - c) post Orationem de Ssmo Sacramento,
   - d) post Orationem in utroque anniversario tam Summi Pontificis quam Episcopi,

   si quæ a Rubricis præscribuntur dicendæ;

2) ante Orationes sequentes:
   - a) ante Orationem imperatam ab Ordinario, excepto casu, quo hæc substituitur Orationi 3. ad libitum,
   - b) ante Orationes stricte votivas.

---

[1]) Cfr. tit. VI, num. 3 nov. Rubr., pag. 50.

III Hujus Orationis conclusio

Hæc Oratio numquam Orationi Missæ sub unica conclusione adjungitur, sed semper sub distincta conclusione.

IV Anniversarii computatio

Hoc anniversarium propriæ ordinationis computandum est a die fixa mensis, non hebdomadæ. Quodsi quis ergo in Dominica Passionis anni 1920 sacerdos fuerit ordinatus, dies anniversarius est 21. Martii, non autem Dominica Passionis.

V Hæc Oratio prohibetur

1) in Vigilia Nativitatis,
2) in Vigilia Pentecostes,
3) in Dominica Palmarum,
4) in Duplicibus 1 classis,
5) in Missis Defunctorum.

VI Anniversarii translatio

Quodsi Oratio ob aliquod ex impedimentis modo recensitis addi nequeat in ipso die anniversario, ejus additio licita est extra Missas Defunctorum in proximiori sequenti die, quæ a Duplici 1 classis sit libera.

E Collectæ ab Ordinario imperatæ [1])

I Collectæ notio

Collectæ in sensu strictissimo vocantur eæ Orationes, inter late votivas ultimum locum tenentes, quæ ab Ordinario præscribuntur.

II Ratio pro Collecta præscribenda

Ratio imperandæ Collectæ potest esse aliqua Ecclesiæ universalis vel Diœcesis vel magnæ ejusdem partis necessitas, aut alia rationabilis causa, nempe

[1]) Cfr. tit. VI. num. 4 et 5 nov. Rubr., pag. 51—54.

1) ut aliquod bonum impetretur; ex. gr. gratia Spiritus Sancti tempore Concilii œcumenici vel Synodi diœcesanæ vel exercitiorum spiritualium, vel pluvia tempore siccitatis et ariditatis aut serenitas cæli; pax inter nationes;
2) ut malum aliquod avertatur; ex. gr. ad repellendas tempestates, contra persecutores Ecclesiæ etc.

III Collectarum distinctio

Collectæ distingui possunt

1) ratione causæ vel occasionis in
   a) pro re non gravi, i. e. ordinario modo præscriptas,
   b) in præscriptas pro re gravi, quæ iterum distinguuntur
      α) in præscriptas pro re gravi simpliciter,
      β) in præscriptas pro re gravi et dicendas etiam in Duplicibus 1 classis;
2) ratione objecti in Collectas
   a) pro vivis,
   b) pro defunctis.

IV Collectarum Auctor

Collectas præscribere potest solummodo Ordinarius, et quidem

1) pro universali Ecclesia Papa,
2) pro sua Diœcesi Episcopus.

Prælati regulares per se Collectas præscribere nequeunt, excepto casu, pro suis tantum subditis, quando, juxta Rubricas, Oratio tertia est ad libitum dicenda, aut quando in quibusdam diebus a Rubricis Orationes stricte votivæ permittuntur.

V Obligatio ad Collectam

in aliqua Diœcesi præscriptam extendit se ad omnes Sacerdotes in ista Diœcesi celebrantes, tum sæculares, tum regulares, non exceptis peregrinis. Peregrinus ergo tenetur Collectam in sua Diœcesi fortasse præscriptam omittere et dicere Collectam præscriptam in Diœcesi, in qua celebrat Missam.

VI Collectarum numerus

Orationes ab Ordinario imperatæ numquam plures sint quam duæ et tunc possunt esse

1) aut ambæ ordinario modo præscriptæ,
2) aut una pro re gravi (sive simpliciter sive dicenda etiam in Duplicibus 1 classis), altera ordinario modo præscripta,
3) aut utraque pro re gravi præscripta, et quidem
   a) aut utraque pro re gravi dicenda etiam in Duplicibus 1 classis,
   b) aut utraque pro re gravi simpliciter,
   c) aut una pro re gravi dicenda etiam in Duplicibus 1 classis, altera pro re gravi simpliciter.

VII Collectarum locus

Collectæ ponuntur ultimo loco post Orationes a Rubrica præscriptas vel loco Orationis ad libitum pro diversitate Temporum assignatæ, quoties nempe tertia Oratio ad libitum sit eligenda: Ergo

1) post Orationes a Rubrica præscriptas, ergo
   a) post Commemorationes speciales, et, si dicendæ sint, etiam
   b) post Commemorationes communes. Si vero
      a) tertia Oratio, pro diversitate Temporum assignata, sit ad libitum eligenda, ei Collecta substitui potest;

β) si imperata fuerit Oratio contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa, diebus in quibus alterutra a Rubricis præscribitur, unica Oratione utrumque adimpletur præceptum, Rubricæ nempe et Ordinarii.

c) etiam post Orationes late votivas a Rubrica præscriptas vel saltem permissas, si in casu veniunt dicendæ.

2) ante Orationes stricte votivas.

VIII Collectarum conclusio

Hujusmodi Orationes seu Collectæ numquam sub unica conclusione Orationi Missæ adjunguntur, sed semper sub distincta ponuntur conclusione, etiam in Duplicibus I classis.

IX Collectæ prohibentur:

1) Ordinario modo præscriptæ prohibentur propter respectivam Missam vel Commemorationem:

a) in omnibus Duplicibus I et 2 classis,

b) in Dominicis majoribus, nempe
α) in Dominicis Adventus,
β) in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam in Albis inclusive,
} nisi loco Orationis ad libitum prima ex iis eligatur;

c) in Feriis majoribus privilegiatis, nempe
α) Feria IV Cinerum,
β) Feriis II, III et IV Majoris Hebdomadæ;

d) in Vigiliis privilegiatis, nempe
α) Nativitatis,
β) Epiphaniæ,
γ) Pentecostes;

e) infra Octavas privilegiatas, nempe
   α) Paschæ,
   β) Pentecostes,
   γ) Epiphaniæ,
   δ) Corporis Christi,
   ε) Nativitatis,
   ζ) Ascensionis;
   η) infra Octavas pro particulari tantummodo Ecclesia quomodolibet privilegiatas;
f) in Missis votivis sollemnibus pro re gravi et publica simul causa celebratis;
g) in Missis ad instar harum celebratis;
h) quoties in Missa, juxta Rubricas, jam quatuor dictæ sint Orationes.

Notandum tamen, quod, si duæ Collectæ sint præscriptæ, secunda semper dici debet, quando prima dicta fuerit, etiamsi tunc numerus quaternarius superetur. S. R. C. d. 22 Mart. 1912.

2) Collectæ imperatæ pro re gravi simpliciter prohibentur:
   a) in Vigilia Nativitatis,
   b) in Dominica Palmarum,
   c) in Vigilia Pentecostes,
   d) in Duplicibus I classis.

Dicendæ sunt ergo etiam in Missis votivis sollemnibus et ad instar earum celebratis.

3) Collectæ pro re gravi dicendæ etiam in Duplicibus I classis prohibentur
   a) in Nativitate Domini,
   b) in Epiphania,
   c) in Triduo sacro Majoris Hebdomadæ.
   d) in Dominica Resurrectionis,
   e) in Ascensione,
   f) in Dominica Pentecostes,

g) in Festo Ssmæ Trinitatis,
h) in Festo Corporis Christi.

X Collectarum ordo

Si duæ Collectæ præscriptæ sint, sequens ordo est adhibendus:

1) Primo loco semper dicenda est Collecta pro re gravi;

2) si utraque dicenda est pro re gravi, primo ponitur dicenda etiam in Duplicibus 1 classis;

3) si utraque est pro re gravi simpliciter, vel utraque est dicenda etiam in Duplicibus 1 classis, vel utraque est ordinario modo præscripta,

a) primo loco ponitur, juxta ordinem Litaniarum, Collecta, quæ præcepta fuerit de aliquo Mysterio vel Sancto;

b) postea, quæ desumenda sit ex

α) Missis votivis diversis vel ex
β) Orationibus, quæ in fine Missalis habentur,

} servato, si ambæ sint hujusmodi, eodem ordine, quo in Missali prostant.[1])

XI Collectæ pro Defunctis

Quamvis numquam dubium fuerit, quod Ordinarius possit præscribere etiam Collectas pro Defunctis,[2]) primum tamen nunc in Rubricis de iis tractatur. Missæ vero, in quibus locum habere possunt, sunt paucissimæ. Distinguendum est inter Collectas in Missis Defunctorum et inter Collectas in Missis, quæ non sint Defunctorum.

---

[1]) Notandum, quod Missæ votivæ diversæ in novo Missali sint aliter dispositæ.
[2]) Cfr. Decr. S. R. C. 1322 ad 8.

1) Collectæ in Missis Defunctorum.

a) Collecta pro Defunctis dici nequit in omnibus Missis Defunctorum, in quibus una tantum dicitur Oratio;

b) in Missis quotidianis Defunctorum Collecta pro Defunctis quovis anni tempore, non excepto Tempore Paschali, dici potest; quia vero Oratio *Fidelium* ultimo semper loco est ponenda, Collecta dicitur tertio loco, etiamsi post eam diceretur adhuc una vel plures Orationes votivæ.

2) Collectæ in Missis, quæ non sint Defunctorum.

Quamvis Collectæ pro vivis prohibeantur in Missis Defunctorum, in Missis, quæ non sint Defunctorum, admittuntur tamen Collectæ pro Defunctis.

a) Hæ Collectæ prohibentur tamen:

α) toto Tempore Paschali, propter characterem gaudii et exsultationis huic tempori inhærentem,

β) extra Tempus Paschale:

1. in omnibus Missis de Officio duplici vel semiduplici,
2. in omnibus Missis, in quibus de Duplici vel Semiduplici fiat tantum Commemoratio.

b) Hæ Collectæ permittuntur ergo in Missis ritus simplicis extra Tempus Paschale celebratis, in quibus non fiat Commemoratio Duplicis vel Semiduplicis, nempe in Missis

α) de Feria minori,
β) de Festo simplici,
γ) de sancta Maria in Sabbato,
δ) de die Octava simplici,
ε) de Vigilia communi,

ζ) de Feria majori non privilegiata.
η) de Missa Dominicæ præcedentis impedita primo resumenda.
θ) de Missis, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint.

c) Locus hujus Collectæ:

Hæc Collecta pro Defunctis in Missis, quæ non sint Defunctorum, juxta Rubricas,[1]) collocanda est semper pænultimo loco inter Orationes etiam ad Celebrantis libitum permissas (Orationes stricte votivas), ergo pænultimo loco in sensu absoluto.

XXII Orationes stricte votivæ

I Quid sint.

Orationes stricte votivæ sunt illæ Orationes nullam cum Officio relationem habentes, quæ quibusdam in Missis accuratius infra determinandis ad arbitrium Celebrantis addi possunt. De iis agitur in Tit. VII, n. 5 et Tit. IX, n. 12 Rubricarum generalium Missalis et Tit. VI, n. 6 novarum Rubricarum.

II Earum numerus et locus

Hæ Orationes post Commemorationes speciales et, si dicendæ sint, post Commemorationes communes et Orationes late votivas addi possunt, cauto tamen semper, ut cum eis septenarium numerum non excedant, atque imparem[2]) præterea numerum retineant vel inducant.

[1]) Cfr. tit. VI, num. 5 nov. Rubr. pag. 54.
[2]) De ratione imparitatis vide supra pag. 55 Notam 121.

III Prohibentur:

1) in omnibus Missis conventualibus,
2) in omnibus Missis non-conventualibus cantatis,
3) in Missis non-conventualibus lectis
   a) de Feria IV Cinerum,
   b) de Feria II, III, IV Majoris Hebdomadæ.

IV Permittuntur:

in Missis non-conventualibus lectis in die ritus simplicis, et quidem

1) de Feria minori per annum,
2) de præcedenti Dominica impedita primo resumenda sub ritu simplici,
3) de Festo simplici,
4) de sancta Maria in Sabbato,
5) de die Octava simplici,
6) de Vigilia communi,
7) de Feria majori non privilegiata, nempe
   a) de Feriis Adventus,
   b) de Feriis Quadragesimæ a Feria V post Cineres usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis inclusive,
   c) de Feriis Passionis usque ad Sabbatum ante Dominicam Palmarum inclusive,
   d) de Feria II Rogationum,
   e) de Feriis Quatuor Temporum mensis Septembris,
8) de Missis votivis, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint,

dummodo non fiat Commemoratio Duplicis vel Semiduplicis.

V Unde sumi possint.

Hæ Orationes desumi possunt

1) ex omnibus Missis, quæ dici possunt ut votivæ,[1])
2) ex Orationibus diversis in fine Missalis positis.

VI Ordo in eis servandus

Si plures dicantur Orationes stricte votivæ, servandus est sequens ordo:

1) Primo dicuntur Orationes de Mysterio vel Sancto desumendæ ex Proprio vel Communi Sanctorum, et quidem juxta ordinem Litaniarum (cfr. tit. VII, num. 5 Rubr. gen. Missalis);
2) deinde dicuntur Orationes desumendæ ex Missis votivis diversis, et quidem juxta ordinem novum, quo ponuntur in Missali;
3) denique Orationes desumendæ ex Orationibus diversis, et quidem juxta ordinem, quo in Missali ponuntur.

XXIII Oratio „Fidelium" et aliæ pro Defunctis

In Missis Defunctorum juxta Rubricas gen. Missalis Tit. VII, n. 6 nulla quidem fieri potest Commemoratio pro vivis, ne quidem per Orationem *Omnipotens* (ultimam ex diversis Orationibus), quæ est pro vivis atque defunctis; at vero Rubricæ admittunt, immo quibusdam in casibus præscribunt, ut in nonnullis Missis, quæ non sint Defunctorum, Oratio addatur pro Defunctis.

[1]) Vide supra pag. 119 et 120.

A Oratio *Fidelium* tamquam Commemoratio dici debet: [1])

I Prima die cujusvis mensis:

1) Prima die cujusvis mensis
   a) extra Adventum, Quadragesimam, Tempus Paschale et mensem Novembrem,
   b) in qua Officium fiat de Feria et in Choro, loco Missæ de Officio diei, dicatur Missa conventualis de Requie pro defunctis Sacerdotibus, benefactoribus et aliis,
2) in omnibus Missis privatis (i. e. non-conventualibus, sive cantatis sive lectis), quæ non sint Defunctorum,
3) etiam in iis ecclesiis aut oratoriis, in quibus non adsit obligatio Chori, celebratis,
4) pænultimo [2]) loco inter omnes Orationes hac die recitatas, comprehensis iis, quæ ad Celebrantis libitum sint dicendæ, additur Oratio *Fidelium*, non omissa ob eam ulla ex Orationibus pro diversitate Temporum assignatis,
5) nisi occurrat Feria Quatuor Temporum mensis Septembris [3]) aut aliqua Vigilia, aut primo resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis impedita; quibus in casibus additur insequenti prima die libera similiter non impedita.

[1]) Cfr. tit. III, num. 2 et 3 nov. Rubr. p. 25 ss.
[2]) Ratio, cur pænultimo loco sit addenda, juxta Innocentium III (De mysteriis Missæ lib. 2, cap. 27) est, „quia finis ad suum debet torqueri principium; non igitur dignitatis ergo, sed ut a vivis, de quibus in prima Collecta, ad vivos, de quibus in ultima, fiat regressus.“ [3]) In Kalendario universalis Ecclesiæ Feria Quatuor Temporum mensis Septembris numquam potest esse dies libera, quia semper aliquod Festum duplex aut semiduplex occurrit.

II Feria II cujuslibet hebdomadæ:

1) Feria II cujuslibet hebdomadæ
   a) extra Quadragesimam et Tempus Paschale,[1])
   b) in qua fiat Officium de Feria,
2) dummodo aliqua Vigilia non occurrat, aut primo resumenda non sit Missa Dominicæ præcedentis impedita,
3) pænultimo loco inter omnes Orationes ea die recitatas, comprehensis iis, quæ ad Celebrantis libitum sint dicendæ, additur Oratio *Fidelium* pro Defunctis, non omissa ob eam ulla ex Orationibus pro diversitate Temporum assignatis,
4) in sequentibus Missis:
   a) in omnibus Missis privatis (i. e. non-conventualibus, sive cantatis sive lectis), quæ non sint Defunctorum, etiamsi celebrentur in ecclesiis aut oratoriis, in quibus non adsit obligatio Chori;
   b) etiam in Missis conventualibus, si celebrentur non de Requie (ut tali in casu juxta Rubricam licet), sed aut de Feria currenti aut more votivo de Ssma Trinitate.

B Oratio *Fidelium* et aliæ Orationes pro Defunctis dici possunt ut Orationes stricte votivæ.[2])

Extra Tempus Paschale in quibusdam Missis, quæ non sint Defunctorum, juxta Rubricas (tit. VI, num. 6) tamquam Oratio stricte votiva addi potest Oratio *Fidelium* vel aliqua alia ex Orationibus diversis pro Defunctis desumenda.

---

[1]) Attendas, Adventum non esse exceptum.
[2]) Cfr. tit. VI, num. 6 nov. Rubr. pag. 55.

I In quibus Missis addi possit.

Bene distinguendæ sunt duæ classes Missarum, in quibus hæc Oratio pro Defunctis addi possit. Discrimen inter utramque classem in eo situm est, quod in prima classe additio tunc tantum fieri possit, si in Missis de die ritus simplicis non fiat Commemoratio Duplicis vel Semiduplicis, in altera vero classe, etiamsi fiat Commemoratio Duplicis vel Semiduplicis.

1) **Prima classis**

a) Ad hanc classem pertinent sequentes Missæ non-conventuales extra Tempus Paschale lectæ:

α) de Feria minori per annum,
β) de præcedenti Dominica impedita, primo resumenda sub ritu simplici,
γ) de Festo simplici,
δ) de sancta Maria in Sabbato,
ε) de die Octava simplici,
ζ) de Vigilia communi,
η) de Feria majori non privilegiata, nempe
1. de Feriis Adventus,
2. de Feriis Quadragesimæ a Feria V post Cineres usque ad Sabbatum post Dominicam Passionis inclusive,
3. de Feriis Quatuor Temporum mensis Septembris,

dummodo non fiat Commemoratio Duplicis vel Semiduplicis.

ϑ) de Missis votivis, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint,

b) Notanda.

α) una tantum Oratio pro Defunctis addi potest, quia pænultimo loco est ponenda, et unus tantum locus pænultimus habetur;

β) eligi potest aut Oratio *Fidelium* aut aliqua ex 17 diversis pro Defunctis:

γ) addi potest, etiamsi tamquam 3. Oratio præcesserit vel ultima sequatur Oratio *Omnipotens* (S. R. C. die 12. Julii 1912);

δ) addi potest, etiamsi Missa non applicetur pro Defunctis;

ε) non potest addi, si præscripta sit ab Ordinario Collecta pro Defunctis, quia etiam hæc pænultimo loco est collocanda et tamquam Oratio late votiva præcedentiam habet præ stricte votiva.

2) **Secunda classis:**

a) Ad hanc classem pertinent sequentes Missæ lectæ non conventualiter celebratæ:

α) de Feria majori non privilegiata propriam Missam habenti, ergo

1. de Feriis Quadragesimæ a Feria V post Cineres usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis inclusive,
2. de Feriis Passionis infra hebdomadam Passionis,
3. de Feriis Quatuor Temporum Adventus et mensis Septembris;

β) de Vigilia communi extra Tempus Paschale et Octavas quaslibet privilegiatas occurrenti,

b) in eis Oratio pro Defunctis permittitur,

α) etsi in eis facienda sit Commemoratio Duplicis vel Semiduplicis.

β) dummodo tamen pro Defunctis applicentur.

Ad Altaris privilegiati, quod vocant, indulgentiam lucrandam prioribus temporibus requirebatur, ut Missa celebraretur in nigris, ideoque plane impossibile erat, indulgentiam Altaris privilegiati lucrari diebus, quibus Missæ Defunctorum erant prohibitæ. Cum vero per Tit. X, n. 2 Rubricarum una cum Bulla *Divino afflatu* promulgatarum numerus dierum, quibus licet Missas quotidianas Defunctorum legere, valde coarctatus fuerit, Pius PP. X concessit, ut, licet sub pœna nullitatis, indulgentia percipi possit, si adderetur Oratio pro Defunctis propria. At mox Supremæ S. Congregationi S. Officii, cui res universa de Indulgentiis demandata est, pluribus ex locis oblatæ sunt preces pro ampliori relaxatione, ne facilis neglectus ejusmodi condicionis in grave purgantium animarum detrimentum vergat. Quibus mature perpensis, S. Congregatio Officii, approbante Pio PP. X., die 20 Februarii 1913 declaravit: „Ad Altaris privilegiati, quod vocant, Indulgentiam lucrandam non amplius in posterum sub pœna nullitatis requiri Missam de Feria vel Vigilia cum Oratione Defuncti propria celebrari; id tamen laudabiliter fieri, cum licet ac decet, pietatis gratia erga Defunctum."

Bene ergo notandum est discrimen, quod versetur inter Missas primæ et secundæ classis. Etsi enim Missæ secundæ classis sint etiam inter eas, quæ recenseantur in prima classe, tamen condicio sine qua non apposita est Missis secundæ classis, quod nempe, etsi in eis facienda sit Commemoratio Duplicis vel Semiduplicis, Oratio pro Defunctis addi quidem possit, dummodo ta-

men hæ Missæ pro Defunctis applicentur: quæ condicio in Missis primæ classis non requiritur, in quibus proinde Oratio licite additur, etiam in casu, quo pro vivis applicentur.

II Hujus Orationis locus

Hæc Oratio pro Defunctis stricte votiva addenda est pænultimo loco inter omnes Orationes ea die recitatas.

XXIV Sequentiæ

A Quæ aliquibus Festis assignantur.

I Dici debent, et quidem integræ:

1) in omnibus Missis, sive conventualibus sive privatis, sive cantatis sive lectis:
   a) quæ in tali Festo de ipso Festo celebrantur;
   b) quæ de die infra Octavam privilegiatam I ordinis (i. e. Paschæ et Pentecostes) celebrantur.
2) in Missis conventualibus, sive cantatis sive lectis, et in Missis privatis cantatis tantum,
   a) quæ de talis Festi die Octava communi vel de die infra Octavam communem celebrantur;
   b) quæ de talis Festi die Octava privilegiata II vel III ordinis vel de die infra Octavam eodem modo privilegiatam celebrantur;
3) in Missis non-conventualibus lectis, quæ de die Octava communi et privilegiata 2 et 3 ordinis celebrantur.

II Dici vel omitti potest in Missis non-conventualibus lectis, quæ de talis Festi die in-

fra Octavam communem et privilegiatam 2 et 3 ordinis celebrantur.

B Sequentia *Dies iræ*

I dici debet, et quidem integra:

1) in omnibus Missis, in quibus dicitur unica Oratio,

2) in Missis quotidianis, in quibus tres dicuntur Orationes,

a) si conventualiter celebrentur, sive sint cantatæ, sive lectæ;

b) si privatim (= non conventualiter) cum cantu celebrentur.

II dici vel omitti potest in quotidianis Missis privatis lectis.

NB! Sequentia tam Festi alicujus quam Sequentia *Dies iræ*, si cantetur vel dicatur, semper cantari vel dici debet integra per totum. Non licet ergo neque cantoribus neque Celebranti tantum partem quandam cantare vel dicere.

XXV Credo

A Dicitur Symbolum

I ratione mysterii

in diebus et Festis, quæ in Symbolo explicite vel implicite commemorantur; hinc

1) in omnibus Dominicis, quia Dominica est dies Domini et instituta est in ejus honorem et ad commemorandam Creationem, Resurrectionem, missionem Spiritus Sancti; et quidem

a) in Missis de Dominica ipsa,

b) in Missis die Dominica de nobiliori Officio celebratis, etiamsi alias privile-

gium Symboli non habeant, dummodo Dominica commemoretur,

c) in Missa Dominicæ infra Octavas in universali Ecclesia privilegiatas occurrentis, quæ intra respectivæ Octavæ ambitum sint resumendæ,

d) in Dominica anticipata,
e) in Dominica, etiam quoad Officium reposita,
f) in Vigilia Epiphaniæ, quæ habet omnia jura ac privilegia Dominicæ

} etiam tantum commemoratis in Missa Officii nobilioris,

2) in omnibus Festis primariis et secundariis Domini eorumque Octavis, etsi tantum commemorentur in Missis festivis ritus duplicis aut semiduplicis; quia earum in Symbolo mentio aut explicita aut saltem implicita fit;

3) in omnibus Festis primariis et secundariis B. Mariæ Virg. eorumque Octavis, etsi tantum commemorentur in Missis festivis ritus duplicis aut semiduplicis; quia B. Virgo intimam habet cum mysteriis Filii sui relationem ipsaque cunctas hæreses interemit in universo mundo;

4) in omnibus Festis Ss. Angelorum, eorumque Octavis, etsi tantum commemorentur in Missis festivis ritus duplicis aut semiduplicis; quia ipsorum in Symbolo implicita mentio fit verbis: *Creatorem cæli et terræ, visibilium et invisibilium,* et quia Angeli in nonnullis mysteriis cooperabantur, puta Incarnationis, Resurrectionis, Ascensionis.

5) in Festis S. Joseph, eorumque Octavis, etiamsi tantum commemorentur in Missis festivis ritus duplicis aut semiduplicis; quia S. Joseph tamquam Christi pater nutricius et Sponsus B. M. V. intimam habet

relationem ad mysteria Christi ejusque Matris;

6) in Festis Ss. Apostolorum eorumque Octavis, etsi tantum commemorentur in Missis festivis ritus duplicis aut semiduplicis; quia eorum mentio fit in Symbolo verbis *apostolicam Ecclesiam;*

7) In Festo Omnium Sanctorum ejusque Octava, etsi tantum commemorata in Missis festivis ritus duplicis aut semiduplicis; quia ipsorum mentio fit in Symbolo verbis *sanctam Ecclesiam* et quia multi inter eos sunt, quorum Festa gaudent privilegio Symboli;

8) in die Dedicationis Ecclesiæ ejusque anniversario necnon Octava, etsi tantum commemorata in Missis festivis ritus duplicis aut semiduplicis, item in benedictione primarii ejus lapidis et sollemni ejus benedictione: quia Dedicatio Ecclesiæ non solum est Festum Domini, sed et quia ecclesia materialis figura est symbolica Ecclesiæ *unius, sanctæ, catholicæ* et *apostolicæ.*

II Ratione doctrinæ

dicitur *Credo* in Festis illorum Sanctorum, qui fidem catholicam verbo aut scripto illustraverunt et propugnaverunt; hinc

1) in Festis et per Octavam non solum Apostolorum, sed etiam Evangelistarum,
2) in Festis et per Octavam Doctorum Ecclesiæ,

} etsi tantum commemorentur in Missis festivis ritus duplicis aut semiduplicis; necnon etiam in eorum Festis secundariis, si saltem sub ritu duplici celebrentur.

3) in Festo et per Octavam S. Mariæ Magdalenæ, tamquam „Apostolorum Apostolæ“ in die Resurrectionis, etsi tantum comme-

morato in Missis festivis ritus duplicis aut semiduplicis.

III Ratione sollemnitatis

dicitur *Credo*

1) in Festis et per Octavas Patronorum et quidem
   a) Patronorum loci (i. e. parochiæ, civitatis, diœcesis, provinciæ, nationis, Ecclesiæ universalis);
   b) Patronorum Ordinis seu Congregationis;
2) in Festo et per Octavam Tituli ecclesiæ (non vero Tituli alicujus Capellæ vel altaris in ecclesia),[1])
3) in Festo et per Octavam Tituli Ordinis seu Congregationis,
4) in Festo et per Octavam Sancti Fundatoris Ordinis seu Congregationis,

etiamsi tantum commemorentur in Missis festivis ritus duplicis aut semiduplicis; necnon in eorum Festis secundariis sub ritu saltem duplici celebratis.

5) in Festo (saltem duplici) alicujus Sancti in illa ecclesia, in qua asservatur reliquia insignis, etiamsi non sit exposita publicæ venerationi.

Reliquia insignis est
   a) totum corpus,
   b) major ejus pars etiam in pulverem redacta,
   c) caput, licet absque inferiore maxilla,
   d) brachium,
   e) crus,
   f) humerus,
   g) femur,

[1]) Cfr. Rubric. gen. Missalis Tit. XI.

h) antibrachium,
i) tibia,
k) manus,
l) pes,
m) truncus,
n) cor, lingua aut quævis alia pars, quæ ex miraculo conservatur,
o) pars corporis, in qua passus sit Martyr,

dummodo omnes hujusmodi reliquiæ rite fuerint approbatæ, et de identitate constet Sancti vel Beati, de quo Missa celebratur.[1])

6) in omnibus Missis votivis sollemniter pro re gravi et publica simul causa celebratis, etiam in colore violaceo extra Dominicam.

7) in sequentibus Missis votivis privilegiatis
a) in die Creationis et Coronationis Papæ eorumque dierum anniversario;
b) in anniversario electionis sive translationis et consecrationis Episcopi;
c) in Missa votiva Ssmi Cordis Jesu prima Feria VI cujusque mensis celebrata;
d) in Missis de sollemnitate externa Festi duplicis 1 vel 2 classis in Dominicam translata;
e) in unica Missa sua die cantata de Festo Patroni principalis aut Tituli vel Dedicationis propriæ ecclesiæ, aut etiam Tituli vel Sancti Fundatoris seu Congregationis, per accidens impedito; item si in Missa Officii nobilioris tantummodo commemoretur;
f) in unica Missa magno cum populi concursu cantata de Festo, quod transferri aut commemorari vel accidentaliter omitti debeat, aut de Mysterio, Sanc-

[1]) Cfr. Ephemerides Liturgicæ 1917 (XXX) pag. 429.

to vel Beato, cujus mentio illa die fiat in Martyrologio vel in ejus appendice pro respectivis ecclesiis approbata.

B Non dicitur Symbolum

I In Missis de ceteris Sanctis supra non aliquo modo commemoratis, licet celebrentur sub ritu duplici 1 vel 2 classis, ex. gr. S. Joannis Baptistæ, S. Annæ, S. Laurentii, nisi sint hi Sancti Tituli ecclesiæ aut Patroni loci; nec in Festis Ss. Martyrum, quamvis pro fide catholica sanguinem fuderint.

II In Missis Dominicæ infra hebdomadam resumendis, nisi agatur de Missis Dominicæ infra Octavas in universali Ecclesia privilegiatas occurrentis, quæ intra respectivæ Octavæ ambitum sint resumendæ.

III In aliis Missis ritus simplicis, etiamsi Symbolum alicui ex Commemorationibus occurrentibus conveniret.

Hinc si quis dicat die 18 Martii Missam de Feria Quadragesimæ vel Passionis, non dicitur *Credo*, quamvis Commemoratio facienda sit S. Cyrilli Hierosolymitani Ep. Conf. et Eccl. Doctoris; hæc valent etiam de privilegiata Missa votiva pro Sponsis, quæ semper habet ritum simplicem ideoque numquam *Credo* admittit.

XXVI De Præfatione

Hucusque numerabantur in Missali Romano undecim Præfationes. Per Decretum S. R. C. d. d. 9 Aprilis 1919 duæ accesserunt, Præfatio nempe de S. Joseph et Præfatio pro Defunctis, ita ut numerus Præfationum sit 13, ex quibus 12 sunt propriæ, 1 communis.

A De Præfatione in genere

I Regulæ generales

1) In qualibet Missa dicitur semper ejus Præfatio propria, si habeatur, etiamsi facienda sit Commemoratio unius alteriusve Officii etiam propriam Præfationem habentis.

Ex. gr. si infra Octavam Ascensionis occurrat Festum B. Mariæ Virg., dicitur Præfatio de B. M. V., et non Præfatio de Ascensione.

2) Quodsi Missa, quæ dicitur, Præfatione propria careat, sequentia sunt observanda:

a) Si in hac Missa Commemoratio facienda sit alicujus Officii propriam Præfationem habentis, hæc dicitur, etiamsi fortasse præcesserit Commemoratio Officii propria Præfatione non gaudentis.

Ex. gr. die 17 Julii occurrant alicubi dies Octava Festi Tituli propriæ ecclesiæ, quod propria careat Præfatione, Festum S. Alexii Conf. et dies infra Octavam Festi B. Mariæ Virg. de Monte Carmelo in isto loco cum Octava communi celebrati. Missa dicitur de die Octava Tituli cum Commemoratione S. Alexii et Octavæ B. M. V.: Præfatio erit de B. M. V.

b) Si in hac Missa Commemoratio facienda sit duorum Officiorum, quorum utrumque propria gaudeat Præfatione, dicitur Præfatio propria Officii primo loco inter cetera, quæ propriam Præfationem habent, commemorati.

Ex. gr. alicubi occurrant die 15 Maji dies Octava Festi Tituli propriæ ecclesiæ, Festum S. Joannis Baptistæ de la Salle, dies infra Octavam alicujus Festi B. M. V., et dies infra Octavam Sollem-

nitatis S. Joseph. In Missa de die Octava Tituli facienda est Commemoratio S. Joannis Bapt. de la Salle, Octavæ B. M. V. et Octavæ S. Joseph. Præfatio dicitur de B. M. V., quia ejus Octava commemoratur ante Octavam S. Joseph, etiam propriam Præfationem habentem.

c) Si in hac Missa aut nulla facienda sit Commemoratio aut Commemoratio Officii propria Præfatione carentis, sequentia sunt observanda:

α) si Festum, de quo dicitur Missa, occurrat infra Octavam aliquam communem Præfatione propria gaudentem, hæc dicitur, etsi Octavæ non fiat Commemoratio.

Ex. gr. Die 16 Augusti in Festo S. Joachim, dicitur extra Dominicam Præfatio de B. M. V., quia peragitur infra Octavam Assumptionis ejusdem B. M. V., quamvis propter ritum classicum de Octava non fiat Commemoratio.

β) Si Festum, de quo dicitur Missa, extra Octavam communem propria Præfatione carentem occurrat Tempore propria Præfatione gaudente, hæc dicitur.

Ex. gr. In Apparitione S. Michaelis Archangeli die 8 Maji extra aliquam Octavam occurrenti dicitur Præfatio de Tempore Paschali.

γ) Si Festum occurrat extra Octavam communem et Tempus propria Præfatione non gaudentia, dicitur Præfatio communis, quod est ordinarium.

3) Probe tamen notandum, quod regulæ modo expositæ valeant sub hac expressa condicione, quod salvæ semper maneant normæ

in tit. V, num. 4 et 5 nov. Rubr. de Præfatione in Missis cantatis et conventualibus adhibenda statutæ.

a) Valent ergo tantummodo
   α) pro Missis non-conventualibus lectis,
   β) pro hoc casu, quod in ecclesia respectiva una tantum Missa conventualis aut cantata celebretur, sive fiat de Officio diei sive non.

b) Quodsi autem plures ea die in illa ecclesia habeantur Missæ cantatæ, aut conventuales, vel etiam aliæ habeantur Missæ in cantu præter conventualem, in qualibet ex eis non dicitur Præfatio, quæ vel propria sit alterius Missæ, vel propria item alicujus Commemorationis in altera Missa factæ vel faciendæ.

c) Idem servatur
   α) quoad Præfationem de Octava communi, } etiam non commemoratis in Officio,
   β) ac de Feria VI post Octavam Ascensionis, }
   γ) necnon quoad Præfationem de Nativitate Domini a die 2 ad 4 Januarii inclusive,
   δ) ac quoad Præfationem de Tempore Paschali in Feriis communibus ejusdem Temporis:

quæ pariter in una tantum ex Missis cantatis vel conventualibus adhibentur, nempe in Missa propria, si dicatur, secus in Missa de Officio diei, et ea deficiente, in prima ex Missis ea die in cantu vel conventualiter celebratis.

II Quæ Præfatio dicenda sit in Dominica.

1) Præfatio Dominicæ propria est, etiamsi fiat Commemoratio Officii propri-

am Præfationem habentis, Præfatio de Ssma Trinitate:

a) a Dominica II post Epiphaniam usque ad Dominicam Quinquagesimæ inclusive.

b) a Dominica I post Pentecosten usque ad Dominicam IV Adventus inclusive.

NB! In Dominica II post Pentecosten (quæ occurrit infra Octavam Ssmi Corporis Christi) vero dicenda est Præfatio de Trinitate tunc tantum, quando in Missa de Dominica non fit Commemoratio Octavæ Ssmi Corporis Christi: quod tunc fit, quando in Dominica infra hanc Octavam duæ Missæ dicantur in cantu vel conventualiter, una de sollemnitate externa translata Festi Ssmi Corporis Christi, altera de Dominica, in quibus Missis de alterutra juxta Tit. V. n. 4 novarum Rubricarum non fit Commemoratio; secus dicitur Præfatio de Nativitate Domini, quæ censetur hujus Dominicæ infra Octavam propria.

Ex. gr. Dominica II vel III Adventus, in qua fit Commemoratio Octavæ vel dici Octavæ Conceptionis immaculatæ B. M. V., dicitur Præfatio de Trinitate, et non de B. M. V.

Similiter in Dominica, quæ occurrat infra Octavam Assumptionis ejusdem B. M. V., non dicitur Præfatio de B. M. V. ob Commemorationem Octavæ factam, sed Præfatio de Trinitate.

Similiter in Dominica ex. gr. die 17 Septembris occurrenti dicitur Præfatio de Trinitate, etiamsi fortasse alicubi facta sit Commemoratio Octavæ Exaltationis S. Crucis vel Septem Dolorum B. M. V. vel utriusque Octavæ propria Præfatione gaudentis.

c) etiam in Dominica anticipata post Octavam Epiphaniæ vel Pentecostes.

Ex. gr. si die 25 Januarii, in Conversione S. Pauli Apostoli anticipanda sit Dominica post Octavam Epiphaniæ, non dicitur Præfatio de Apostolis propter Commemorationem factam S. Pauli et S. Petri, sed Præfatio de Trinitate.

2) Præfatio Dominicæ propria est, etiamsi fiat Commemoratio Officii propriam Præfationem habentis, Præfatio de Tempore et quidem

a) Præfatio de Tempore Quadragesimæ in Dominicis I—IV Quadrag. inclusive;
b) Præfatio de Tempore Passionis in Dominicis Passionis et Palmarum;
c) Præfatio de Tempore Paschali in Dominicis I—V post Pascha inclusive.

3) Præfatio Dominicæ propria est, etiamsi fiat Commemoratio Officii propriam Præfationem habentis, Præfatio de Octava privilegiata:

a) Dominica infra Octavam Nativitatis,
b) Dominica infra Octavam Epiphaniæ,
c) Dominica infra Octavam Ascensionis,
d) Dominica infra Octavam Ssmi Corporis Christi, nisi Commemoratio Octavæ omittenda sit, quo in casu dicitur Præfatio de Trinitate (Cfr. supra 1, *α*, *β*).

III Exceptiones a Regulis generalibus

1) Præfatio de Nativitate Domini infra Octavam ejusdem Nativitatis dicitur in omnibus Missis, etiam in iis, quæ secus Præfationem propriam haberent.

Ex. gr. in Festo S. Joannis Ap. et Ev. dicitur Præfatio de Nativitate, in die vero Octava, et si alicubi celebratur cum Octava

communi etiam in die 7 infra Octavam, dicitur Præfatio de Apostolis.

2) Præfationes Officii commemorati vel Octavæ, quæ non sint de aliquo Mysterio Domini, et Præfatio de Tempore Quadragesimæ, numquam adhibentur
   a) in Missis de Dedicatione Ecclesiæ,
   b) in Missis de alio Festo Domini alicubi celebrato, quod propria Præfatione careat.

   Nota: 1. Ex 11 Præfationibus propriis hic respiciendis[1]) sequentes sunt de aliquo Mysterio Domini:
      a) Præfatio de Nativitate,
      b) Præfatio de Epiphania,
      c) Præfatio de Cruce et Passione,
      d) Præfatio de Tempore Paschali,
      e) Præfatio de Ascensione,
      f) Præfatio de Pentecoste,
      g) Præfatio de Trinitate.

   2. Non sunt de aliquo Mysterio Domini sequentes Præfationes:
      a) Præfatio de Tempore Quadragesimæ,
      b) Præfatio de B. Maria Virgine,
      c) Præfatio de S. Joseph,

      } quamvis in eis sermo sit de Mysterio Incarnationis et Nativitatis Domini,

      d) Præfatio de Apostolis,
      e) Præfationes aliquibus religiosis Institutis ex privilegio concessæ.

      Hæ ergo Præfationes non dicuntur in Missis de Dedicatione ecclesiæ vel de alio Festo Domini alicubi celebrato, quod propria Præfatione

[1]) Dicitur 11 Præfationibus, quia Præfatio 12. propria, nempe Præfatio Defunctorum, hic non consideratur.

careat: etiam in hoc casu, quod facienda sit Commemoratio Festi vel Octavæ habentium Præfationem propriam, quæ non sit de aliquo Mysterio Domini.

3. Quodsi ergo Dedicatio ecclesiæ vel aliud Festum Domini alicubi celebratum, quod propriam Præfationem non habeat, occurrat Tempore Quadragesimæ a Feria V post Cineres usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis inclusive, dicitur Præfatio communis, etiamsi fortasse facienda sit Commemoratio Officii habentis Præfationem propriam, quæ non sit de aliquo Mysterio Domini.
4. Si vero Dedicatio ecclesiæ vel Festum Domini alicubi celebratum, quod habeat Præfationem propriam, quæ non sit de aliquo Mysterio Domini,
   a) occurrat infra Octavam Nativitatis vel Corporis Christi vel si extra hasce Octavas facienda sit Commemoratio Officii, quod Præfationem de Nativitate habeat propriam, dicitur Præfatio de Nativitate;
   b) occurrat infra Octavam Epiphaniæ, dicitur Præfatio de Epiphania;
   c) occurrat Tempore Passionis vel si extra hoc Tempus facienda sit Commemoratio Officii, quod Præfationem de Cruce habeat propriam, dicitur Præfatio de Cruce;
   d) occurrat Tempore Paschali a Feria II post Dominicam in Albis usque ad Vigiliam Ascensionis inclusive, dicitur Præfatio de Tempore Paschali;
   e) occurrat in Dominica extra Tempora modo recensita, dicitur Præfatio de Trinitate.

3) In Missis de Tempore Adventus numquam adhibetur Præfatio de B. Maria Virgine. Ratio est, quia Tempus Adventus est præparatio ad Redemptorem ventu-rum, in Præfatione vero de B. Maria Virg. sermo est de Christi Nativitate in terris facta.

4) Pro Missa denique Rogationum, etiamsi dicatur in Litaniis majoribus infra Octa-vam Paschatis, et pro Missa Vigiliæ Ascen-sionis censetur Præfatio propria Præfatio de Tempore Paschali, in qua dicendum est *in hoc potissimum*, etiam infra Octavam Paschatis.

B De singulis Præfationibus in specie

I Prænotanda quoad cantum.

Quoad cantum Præfationum sequentes no-væ Rubricæ sunt animadvertendæ:

1) Præfationes in cantu sollemni

a) adhibentur

α) in omnibus Missis de quolibet Officio duplici,

β) aut semiduplici,

γ) et in Missis votivis pro re gravi et publica simul causa.

b) non adhibentur umquam

α) in Missis ritus simplicis

β) in Missis votivis, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint.

c) Commemoratio autem aut Octava, pro-pria Præfatione gaudens, licet, juxta Rubricas, servet jus ad illam quoad textum, non servat quoad cantum sol-lemnem, nisi talis cantus Missæ, quæ celebratur, conveniat.

2) Præfationes in cantu feriali

a) adhibentur

α) in omnibus Missis ritus simplicis,

β) et in Missis votivis, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint;

b) Commemoratio tamen aut Octava, Præfatione propria gaudens, licet, juxta Rubricas, servet jus ad illam quoad textum, non servat quoad cantum sollemnem, nisi talis cantus Missæ, quæ celebratur, conveniat.

II Præfatio de Nativitate dicitur juxta Rubricas

1) in cantu sollemni:

a) in Nativitate Domini,

b) per Octavam ejusdem, etiam in Missis, quæ alioquin Præfationem propriam haberent,

c) in Vigilia Epiphaniæ,

d) in Missis de Ssmo Nomine Jesu,

e) in Missis de Purificatione B. M. V.,

f) in Missis de Ssmo Corpore Christi,

g) in Missis de Transfiguratione Domini,

h) in Missa Dominicæ infra Octavam Ssmi Corporis Christi, si omittenda non sit Commemoratio Octavæ;

i) in omnibus Missis a die 2 ad 4 Januarii inclusive celebrandis, in quibus alia Præfatio non sit adhibenda.

2) in cantu feriali:

a) infra Octavam Nativitatis Domini (in Missa votiva pro Sponsis),

b) in Missa Dominicæ infra Octavam ejusdem Nativitatis, quæ post diem 1 Januarii sit resumenda,

c) in Missis votivis

α) de Ssmo Sacramento,
β) de Ssmo Nomine Jesu,

} quæ pro re gravi et publica simul causa non sint.

d) in omnibus Missis a die 2 ad 4 Januarii inclusive celebrandis, in quibus alia Præfatio non sit adhibenda.

3) sine cantu:

a) in Nativitate Domini,

b) per Octavam ejusdem Nativitatis in omnibus Missis, etiam in iis quæ secus propriam haberent Præfationem, dummodo in his de ipsa Octava fiat Commemoratio,

c) in Missa Dominicæ infra Octavam Nativitatis post diem 1 Januarii resumenda,

d) in Missa de Vigilia Epiphaniæ,

e) in Missis de Ssmo Nomine Jesu,

f) in Missis de Purificatione B. M. V.,

g) in Missis de Ssmo Corpore Christi,

h) in Missis de Dominica infra Octavam ejusdem, si Commemoratio de Octava non omittatur,

i) in Missis de Transfiguratione Domini,

k) in omnibus Missis,

α) in quibus facta sit Commemoratio alicujus ex Officiis supra recensitis,
β) vel quæ infra eorumdem Octavas communes, sicubi habeantur, celebrentur,
γ) vel quæ celebrentur a die 2 ad 4 Januarii,

} nisi ipsa Missa, aut Commemoratio prius habita, aliam exigant Præfationem.

III Præfatio de Epiphania dicitur juxta Rubricas

1) in cantu sollemni in Epiphania Domini et per Octavam, non excepta Dominica;
2) in cantu feriali numquam dicitur;
3) sine cantu dicitur
   a) in Missis de Epiphania Domini,
   b) in Missis de Dominica infra Octavam ejusdem,
   c) in omnibus Missis, quæ infra Octavam celebrentur, dummodo
      α) de Octava fiat Commemoratio,
      β) ipsa Missa aut Commemoratio prius habita, aliam non exigant Præfationem.

IV Præfatio de Quadragesima dicitur juxta Rubricas

1) in cantu sollemni:
   a) in Dominicis Quadragesimæ usque ad Dominicam IV inclusive,
   b) a Feria V post Cineres usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis inclusive, quoties alia Præfatio non sit adhibenda;
2) in cantu feriali:
   a) in Feriis Quadragesimæ a die Cinerum usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis inclusive;
   b) in Missis votivis Tempore Quadragesimæ celebratis, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint, dummodo ipsa Missa aliam non exigat Præfationem;
3) sine cantu:
   a) in omnibus Missis de Tempore Quadragesimæ a Feria IV Cinerum usque ad

Sabbatum ante Dominicam Passionis inclusive,

b) in omnibus Missis
   α) de Festis occurrentibus,
   β) de Vigiliis occurrentibus,
   γ) in Missis votivis eo Tempore celebratis,

   } dummodo ipsa Missa vel Commemoratio prius habita, aliam non exigant Præfationem.

V Præfatio de Cruce dicitur juxta Rubricas

1) in cantu sollemni:
   a) in Dominica Passionis,
   b) in Dominica Palmarum,
   c) Feria V in Cœna Domini,
   d) in Missis de S. Cruce,
   e) in Missis de Passione,
   f) in Missis de pretiosissimo Sanguine,
   g) in Missis de sacratissimo Corde Jesu,
   h) a Feria II post Dominicam Passionis usque ad Feriam IV Majoris Hebdomadæ inclusive, quoties alia Præfatio non sit adhibenda.

2) in cantu feriali:
   a) in Feriis Temporis Passionis usque ad Feriam IV Majoris Hebdomadæ inclusive,
   b) in Missis votivis
      α) de sancta Cruce,
      β) de Passione,
      γ) de pretiosissimo Sanguine,
      δ) de sacratissimo Corde Jesu,

      } quæ pro re gravi et publica simul causa non sint.

   c) in Missis votivis Tempore Passionis celebratis, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint, dummodo ipsa Missa aliam non exigat Præfationem.

3) sine cantu:

a) in omnibus Missis de Tempore a Dominica Passionis usque ad Feriam V in Cœna Domini inclusive,
b) in omnibus Missis de S. Cruce,
c) in omnibus Missis de Passione,
d) in omnibus Missis de pretiosissimo Sanguine,
e) in omnibus Missis de sacratissimo Corde Jesu,
f) in omnibus Missis de Festis Tempore Passionis occurrentibus,
g) in omnibus Missis de Vigiliis Tempore Passionis occurrentibus,
h) in omnibus Missis votivis Tempore Passionis celebratis,
i) in omnibus Missis, in quibus fiat Commemoratio de S. Cruce, Passione, pretiosissimo Sanguine et Ssmo Corde Jesu,
k) in omnibus Missis, quæ infra Octavas horum Festorum communes, alicubi celebrandas, celebrentur,

} nisi ipsa Missa, aut Commemoratio prius habita, aliam exigant Præfationem.

VI Præfatio de Pascha dicitur juxta Rubricas

1) in cantu sollemni:

a) a Sabbato sancto usque ad Sabbatum in Albis,
b) in Dominicis I—V post Pascha inclusive,
c) a Feria II post Dominicam in Albis usque ad Vigiliam Ascensionis inclusive, quoties alia Præfatio non sit adhibenda.

2) in cantu feriali:
   a) a Feria II post Dominicam in Albis usque ad Vigiliam Ascensionis inclusive,
   b) in Missa de Litaniis majoribus;
3) sine cantu:
   a) in omnibus Missis de Tempore a Sabbato sancto usque ad Vigiliam Ascensionis inclusive,
   b) in Missis de Festis eo Tempore occurrentibus,
   c) in Missis votivis eo Tempore celebratis,

   } nisi ipsa Missa, aut Commemoratio prius habita, aliam exigant Præfationem.

VII Præfatio de Ascensione Domini dicitur juxta Rubricas

1) in cantu sollemni a die Ascensionis usque ad Feriam VI post Octavam inclusive, non excepta Dominica, quoties alia Præfatio non sit adhibenda.
2) in cantu feriali:
   a) infra Octavam Ascensionis,
   b) Feria VI post Octavam Ascensionis,

   } in Missis votivis, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint.
3) sine cantu:
   a) in Missis de Ascensione,
   b) in Missis de Dominica infra Octavam Ascensionis,
   c) in Missis de Festis occurrentibus, quæ per Octavam aut Feria VI post Octavam celebrentur,
   d) in Missis votivis, quæ per Octavam aut Feria VI post Octavam celebrentur,

   } nisi ipsa Missa aut Commemoratio prius habita aliam exigant Præfationem.

VIII Præfatio de Pentecoste dicitur juxta Rubricas

1) in cantu sollemni:
   a) a Vigilia Pentecostes usque ad Sabbatum sequens inclusive,
   b) in Missis votivis de Spiritu Sancto, quæ pro re gravi et publica simul causa sollemniter canantur;
2) in cantu feriali in Missis votivis de Spiritu Sancto, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint;
3) sine cantu:
   a) in Missis de Tempore a Vigilia Pentecostes usque ad sequens Sabbatum inclusive,
   b) in Missis votivis de Spiritu Sancto,
   c) in omnibus Missis, in quibus de Spiritu Sancto vel de Octava Pentecostes fiat Commemoratio.

IX Præfatio de Ssma Trinitate dicitur juxta Rubricas

1) in cantu sollemni:
   a) in Missis de Ssma Trinitate,
   b) in omnibus Dominicis per annum, etiam anticipatis, quæ non habeant
      α) Præfationem propriam aut
      β) Præfationem de Tempore assignatam;
   c) etiam in Dominica II post Pentecosten, si ad Missam omittatur Commemoratio Octavæ Ssmi Corporis Christi;
2) in cantu feriali in Missis votivis de Ssma Trinitate, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint.
3) sine cantu:
   a) in Missis de Ssma Trinitate,

b) in Missis de Dominicis majoribus
   α) Adventus,
   β) Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ;
c) in Missis de Dominicis minoribus, etiam anticipatis
   α) post Octavam Epiphaniæ,
   β) post Octavam Pentecostes;
d) in Missis, in quibus fiat Commemoratio
   α) de Ssma Trinitate,
   β) de Dominicis majoribus et minoribus supra enumeratis;
e) in Missis, quæ infra Octavam Ssmæ Trinitatis alicubi celebratam habeantur.

Non dicitur

1) in Dominica II post Pentecosten, si fiat Commemoratio Octavæ Ssmi Corporis Christi;
2) in Missa alicujus Dominicæ infra hebdomadam resumptæ.

X Præfatio de B. Maria Virgine dicitur juxta Rubricas

1) in cantu sollemni[1]) in Missis de B. Maria Virgine præterquam

---

[1]) Dicitur autem vel *Et te in Annuntiatione,* vel *Visitatione,* vel *Assumptione,* vel *Nativitate,* vel *Præsentatione,* secundum denominationem Festi. — In Missis vero de Conceptione immaculata dicitur: *Et te in Conceptione immaculata.* — In Missis de Septem Doloribus dicitur: *Et te in Transfixione.* — In Festo de Monte Carmelo dicitur: *Et te in Commemoratione.* — In omnibus aliis Festis (ergo etiam in Festo Ssmi Rosarii B. M. V.) dicitur: *Et te in Festivitate.* — In Missis votivis, in quibus speciale Mysterium non sit exprimendum, dicitur: *Et te in Veneratione.*

a) infra Octavam Nativitatis Domini
b) et in Festo Purificationis B. M. V.,

} in quibus casibus sumitur Præfatio de ipsa Nativitate.

2) in cantu feriali[1]) in Missis de B. Maria Virg., ritus simplicis

3) sine cantu:

a) in omnibus Missis de B. Maria Virgine. exceptis

α) Missa de Purificatione et
β) Missis, in quibus facta sit Commemoratio Octavæ Nativitatis Domini,

} in quibus dicitur Præfatio de ipsa Nativitate.

b) in omnibus Missis, quæ non sint de Adventu vel de aliquo Festo Domini, in quibus facienda occurrat Commemoratio ejusdem beatæ Mariæ,
c) in omnibus Missis, quæ infra Octavas communes ejusdem celebrentur,

} nisi ipsa Missa aut Commemoratio prius habita aliam exigant Præfationem.

XI Præfatio de S. Joseph dicitur juxta Rubricas

1) in cantu sollemni[2]) in Missis de S. Joseph.

---

[1]) Dicitur autem vel *Et te in Conceptione immaculata* vel *Transfixione* vel *Assumptione* vel *Nativitate* juxta qualitatem Missæ. In Missa de Officio sanctæ Mariæ in Sabbato dicitur: *Et te in Veneratione*, sicut et in Missis votivis, in quibus speciale Mysterium non sit exprimendum.

[2]) In Missis votivis dicitur: *Et te in Veneratione.*

2) in cantu feriali:
   a) infra Octavam S. Joseph in Missis votivis, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint, dummodo ipsa Missa aliam non exigat Præfationem;
   b) in Missis votivis de S. Joseph, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint.
3) sine cantu:[1])
   a) in omnibus Missis de S. Joseph,
   b) in omnibus Missis, quæ non sint Domini, in quibus de S. Joseph facta sit Commemoratio,
   c) in omnibus Missis, quæ infra Octavam S. Joseph communem celebrentur,

   } nisi ipsa Missa aut Commemoratio prius habita aliam exigant Præfationem.

XII Præfatio de Apostolis dicitur juxta Rubricas
1) in cantu sollemni in Missis de Apostolis vel Evangelistis, præterquam infra Octavam Nativitatis Domini, in qua sumitur de Octava.
2) in cantu feriali:
   a) in Missis de Apostolis vel Evangelistis,
   b) infra Octavam Apostolorum et Evangelistarum in Missis votivis, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint, dummodo ipsa Missa aliam non exigat Præfationem.
3) sine cantu:
   a) in omnibus Missis de Apostolis vel Evangelistis, præterquam infra Octavam Nativitatis Domini, in qua sumitur de Octava,

[1]) In Missis votivis dicitur: *Et te in Veneratione.*

b) in omnibus Missis, quæ non sint Domini, in quibus de Apostolis aut de Evangelistis facta sit Commemoratio,
c) in omnibus Missis, quæ non sint Domini quæque infra Octavas communes Apostolorum vel Evangelistarum celebrentur,

} nisi ipsa Missa aut Commemoratio prius habita aliam exigant Præfationem.

XIII Præfatio communis dicitur juxta Rubricas

1) in cantu sollemni:
   a) quoties non habeatur
      α) Præfatio propria Missæ
      β) aut alicujus Commemorationis in ea peractæ,
      γ) vel Octavæ communis,
      δ) aut de Tempore;
   b) in Festis Domini Præfatione propria carentibus, etiamsi occurrat
      α) Tempus Quadragesimæ
      β) vel Commemoratio
      γ) aut Octava

   } Præfationem propriam habens, quæ non sit de ipso Domino.

2) in cantu feriali:
   a) in Missis de Tempore,
   b) in Missis de Sanctis,
   c) in omnibus Missis votivis,

   } in quibus alia Præfatio non sit adhibenda;
   d) in Missis de Feriis Adventus, licet commemoretur beata Maria Virgo.

3) sine cantu:
   a) in omnibus Missis, quæ propriam Præfationem non habeant, nisi legenda sit, juxta Rubricas, Præfatio propria
      α) alicujus Officii commemorati,
      β) aut Octavæ,
      γ) aut Temporis occurrentis,

b) in Missis de Dedicatione Ecclesiæ,
c) in Missis de aliis Festis Domini alicubi celebratis, quæ propria Præfatione careant,

} in quibus numquam adhibetur Præfatio

α) Officii commemorati
β) vel Octavæ

} quæ non sint de ipso Domino.

γ) Præfatio de Tempore Quadragesimæ.

d) in Missis de Feriis Adventus, quamvis in eis fiat Commemoratio beatæ Mariæ Virginis.

XIV Præfatio pro Defunctis dicitur juxta Rubricas

1) in cantu feriali
2) sine cantu

} in omnibus Missis Defunctorum.

XXVII Communicantes et Hanc igitur

1) *Communicantes* proprium habetur:
   a) a Nativitate Domini usque ad Circumcisionem Domini inclusive,
   b) ab Epiphania Domini usque ad diem Octavam inclusive,
   c) in Feria V in Cœna Domini,
   d) a Sabbato sancto usque ad Sabbatum in Albis inclusive,
   e) ab Ascensione Domini usque ad diem Octavam inclusive,
   f) a Vigilia Pentecostes usque ad Sabbatum sequens inclusive.
2) *Hanc igitur* proprium habetur:
   a) in Feria V in Cœna Domini,
   b) a Sabbato sancto usque ad Sabbatum in Albis inclusive.

c) a Vigilia Pentecostes usque ad Sabbatum sequens inclusive,

3) Regulæ circa *Communicantes* et *Hanc igitur*:

a) *Communicantes* et *Hanc igitur* propria dicuntur

α) in omnibus Missis non-conventualibus lectis, etiamsi Octavæ respectivæ non fiat Commemoratio;

β) hoc in casu, quod in ecclesia respectiva una tantum Missa conventualis aut cantata celebretur, sive fiat de Officio diei sive non.

b) Quodsi autem plures ea die in illa ecclesia habeantur Missæ cantatæ aut conventuales, vel etiam aliæ habeantur Missæ in cantu, in qualibet ex eis non dicuntur *Communicantes* et *Hanc igitur*, quæ vel propria sint alterius Missæ vel propria item alicujus Commemorationis in altera Missa factæ vel faciendæ.

c) Brevis regula: *Communicantes* et *Hanc igitur* propria semper quidem dicuntur, quando Præfatio respectivæ Octavæ dicitur; sed non semper omittuntur, quando Præfatio respectivæ Octavæ omittitur.

XXVIII De Evangelio in fine Missæ

I Ultimum Evangelium ex Missa Officii commemorati

1) In qualibet Missa, etiam votiva, non excepta Missa votiva sollemni, in qua facta fuerit Commemoratio

a) de Dominica, licet anticipata vel, etiam quoad Officium, reposita,
b) de Feria Quadragesimæ, a Feria V post Cineres usque ad Sabbatum post Dominicam Passionis inclusive,
c) de Feria Quatuor Temporum Adventus et mensis Septembris,
d) de Feria II Rogationum,
e) de Vigilia, sive sit
   α) privilegiata Epiphaniæ,
   β) sive Vigilia communis,
f) de die Octava privilegiata Epiphaniæ,
g) de die infra Octavam privilegiatam 1 ordinis, nempe
   α) Paschæ,
   β) Pentecostes,

dicitur in fine Evangelium ex Missa respectivi Officii commemorati, dummodo hoc (etsi tantum a principio) non sit idem Evangelium, quod lectum fuerit in Missa.

2) Quodsi vero Feria et Vigilia, vel duæ Vigiliæ simul occurrant, de ea dicitur Evangelium, de qua primo facta est Commemoratio.[1])

3) Denique, si nullum Dominicæ, Feriæ, Vigiliæ, aut alicujus ex Octavis supra, num. 1 recensitis, Evangelium in fine Missæ fuerit legendum, dicitur ultimum pariter Evangelium Missæ aut Officii primo loco inter cetera, quæ Evangelium stricte proprium habeant, commemorati.

[1]) Cfr. etiam Decr. S. R. C. 3844 ad IX. et Decr. S. R. C. *Romana*, d. d. 10 Jan. 1919.

a) Evangelium debet esse stricte proprium. Stricte proprium est Evangelium,

α) si memoret Mysterium Festi, sive historice, uti ex. gr. in Decollatione S. Joannis Bapt., sive prophetice, uti in Inventione et Exaltatione S. Crucis, addita exaltatione Filii hominis a terra, quæ exaltatio Mysterium Crucis indicabat;

β) si memoretur Persona, cujus Festum agitur, uti

1. in omnibus Festis Christi Domini,
2. in Festis B. Mariæ Virginis, excepta Missa Assumptionis, ubi Evangelium Mariæ et Marthæ applicatur Deiparæ (Evangelium appropriatum),
3. in Festis Angelorum, die 8. Maji et 29. Septembris, S. Gabrielis,[1])
4. in Festis S. Joseph,
5. in Festo utroque S. Joannis Baptistæ,
6. in Festis plurimis Ss. Apostolorum,
7. in nonnullis Festis reliquorum Sanctorum, de quibus infra c, *α — ϑ*.

b) Non dicendum est Evangelium Festi commemorati appropriatum (ex. gr. Festi S. Francisci Xaverii, S. Leonis I

[1]) Evangelium in Festo S. Raphaëlis Archangeli videtur censendum Evangelium appropriatum. Angelus in piscinam descendens creditur quidem fuisse S. Raphaël: attamen de hac re nil constat.

Papæ et Conf., S. Hieronymi Æmiliani, S. Joannis Nepomuceni, S. Joannis Baptistæ de la Salle, S. Josephi Calasanctii, Assumptionis B. M. V.), vel ex aliquo Communi assignatum, vel per Octavam e Festo repetitum.

c) Supposito, quod in Consecratione alicujus ecclesiæ interdum facienda sit Commemoratio etiam Festi duplicis 1 classis primarii (quod non sit Domini) et secundarii, censenda sunt Evangelia stricte propria Evangelia sequentium Festorum:

α) Christi Domini: Sacratissimi Cordis Jesu, Circumcisionis, Nominis Jesu, Inventionis et Exaltationis S. Crucis, Pretiosissimi Sanguinis, Transfigurationis, Ssmi Redemptoris, Sanctæ Familiæ, Fugæ in Ægyptum, Orationis Domini, Columnæ Flagellationis, Spineæ Coronæ, Lanceæ et Clavorum, Ssmæ Sindonis, Quinque Vulnerum, Ssmi Sepulcri;

β) B. Mariæ Virginis: Conceptionis immaculatæ, Nativitatis, Nominis, Præsentationis, Annuntiationis, Visitationis, Desponsationis, Purificationis, Septem Dolorum, ad Nives, de Monte Carmelo, de Mercede, aliorumque Festorum sine Evangelio appropriato de Maria et Martha;

γ) Angelorum: Apparitionis et Dedicationis S. Michaëlis Archangeli, Ss. Angelorum Custodum, S. Gabrielis Archangeli;

δ) Nativitatis et Decollationis S. Joannis Baptistæ;

ε) Festi et Sollemnitatis S. Joseph;

ζ) Ss. Apostolorum: Ss. Petri et Pauli, Andreæ, Thomæ, Joannis Evang. (27 Dec. et 6 Maji), utriusque Cathedræ S. Petri, S. Matthiæ,[1]) Philippi et Jacobi, diei Octavæ Ss. Petri et Pauli App., Jacobi, Petri ad Vincula, Bartholomæi, Matthæi, Simonis et Judæ,[2]) Divisionis Apostolorum;[3])

η) Sanctorum sequentium: Ss. Innocentium Mm., Magdalenæ, Marthæ, Joachim, Zachariæ Patris S. Joannis Baptistæ, Elisabeth ejusdem Præcursoris Matris, Lazari resuscitati, Boni Latronis, Longini, Nicodemi, Josephi ab Arimathæa:[4])

ϑ) Sanctorum Veteris Testamenti, si memorentur in Evangelio: Abraham, Isaac, Jacob, David, Eliæ, Elisei.

d) Quodsi fiat Commemoratio plurium Officiorum proprium Evangelium habentium, in fine Missæ legitur Evangelium illius Festi, quod primo loco commemoratum est.

---

[1]) Matthias enim fuit ex iis Discipulis, ad quos directa sunt verba, qui et ab initio fuit cum Jesu.

[2]) Verba enim Domini ad Simonem et Judam historice referuntur, etsi etiam aliis Discipulis sunt applicabilia.

[3]) Utrum Evangelia Festorum S. Pauli Ap. et S. Barnabæ Ap. sint stricte propria an non, opus erit declaratione authentica S. R. C.

[4]) Utrum Evangelium Festorum S. Stephani Protomartyris (26 Dec. et 3 Aug.) sit stricte proprium necne, opus erit declaratione authentica S. R. C.; agitur ibi de lapidatione, et præter historiam videtur haberi prophetia.

e) Evangelium tale stricte proprium tunc tantum legitur in fine Missæ, si nullum fuerit in fine legendum Evangelium Dominicæ, Feriæ, Vigiliæ, aut alicujus ex Octavis supra, num. 1 recensitis.

Ubi ergo ex. gr. ex indulto S. Sedis Ap. in Quadragesima Festum Sacræ Spineæ Coronæ D. N. J. C. peragitur (Feria VI post Cineres) vel S. Lanceæ (Feria VI post Dom. I Quadragesimæ), et tale Festum ob occurrens Officium nobilius fuerit simplificandum, tamen non legitur ejus Evangelium stricte proprium in fine, quia legendum est Evangelium Feriæ, licet post Festum simplificatum commemoratæ. — Item ubi die Dominica 6 Augusti celebretur Missa votiva sollemnis pro re gravi et publica simul causa, facienda est Commemoratio Festi Transfigurationis D. N. J. C. ante Commemorationem Dominicæ; attamen legendum est Evangelium Dominicæ, et non illud Transfigurationis.

f) Quodsi Missa fuerit de Dominica et facta sit Commemoratio Festi Evangelium stricte proprium habentis, hoc Evangelium legendum est in fine Missæ de Dominica; ex. gr. si Festum Decollationis S. Joannis, vel S. Mariæ Magdalenæ vel S. Marthæ commemoretur in Missa de Dominica, eorum legendum erit Evangelium.

Evangelium enim stricte proprium alicujus Festi commemorati tunc tantum prohibetur in Dominica legendum, cum in Officio Dominicâ nobiliori Evangelium Dominicæ in fine fuerit dicendum. Hoc vero in casu in Officio de Dominica Evangelium Dominicæ non legitur in fine, sed tamquam Evangelium principale.

II Exceptiones

1) Quodsi vero Evangelium ultimum, dicendum ex Missa commemoratæ Dominicæ vel Feriæ vel Vigiliæ vel Octavæ idem sit ac Evangelium, quod lectum fuerit in Missa, (etsi tantum a principio, et non usque ad finem) omittitur ejusque loco dicitur Evangelium S. Joannis consuetum.

   Ex. gr. habetur hic casus, quando simul occurrant die 15 Decembris dies Octava Conceptionis immaculatæ B. M. V. et Feria IV Quatuor Temporum Adventus.

2) Si Vigilia Nativitatis incidat in Dominicam IV Adventus, non legitur Evangelium Dominicæ in fine, sed Evangelium S. Joannis consuetum.

3) Item non legitur in fine Evangelium Dominicæ, quæ a die 2 ad 4 Januarii inclusive occurrat.

4) Pariter denique non legitur in fine Evangelium Dominicæ, quando fit in Missis privatis Commemoratio de Missa Dominicæ primo infra hebdomadam resumenda.[1])

III Evangelium S. Joannis

Dicitur ergo Evangelium S. Joannis

1) in omnibus Missis Defunctorum;

2) in sequentibus Missis, quæ non sint de Requie,

   a) si in Missa nulla facta fuerit Commemoratio,

   b) si quidem in Missa facta fuerit Commemoratio de aliqua ex supra recensitis Dominicis, Feriis, Vigiliis, Octavis vel

---

[1]) Cfr. supra pag. 14, tit. I, num. 6.

de Festo cum Evangelio stricte proprio, eorum vero Evangelium idem sit (etsi tantum a principio) ac Evangelium, quod lectum fuerit in Missa.

c) in Vigilia Nativitatis occurrenti in Dominica IV Adventus,

d) in Dominica, quæ occurrat a die 2 ad 4 Januarii inclusive,

e) in Missis privatis de Officio diei, in quibus juxta Rubricas fit Commemoratio Dominicæ præcedentis impeditæ ideoque infra hebdomadam primo resumendæ,

f) in omnibus Missis in Dominica Palmarum celebratis, in quibus facta fuerit benedictio Palmarum.

IV Casus speciales

1) In Missa tertia in die Nativitatis Domini loco Evangelii S. Joannis, quod est Evangelium principale hujus Missæ, in fine legitur Evangelium Epiphaniæ.

2) In Dominica Palmarum in omnibus Missis, in quibus facta non fuerit benedictio Palmarum, in fine legitur Evangelium, quod habetur in benedictione Palmarum.

XXIX De Precibus post Missam

I Preces post Missam a Leone XIII præscriptæ omitti debent

1) post Missas sollemnes vel cantatas, sive sint conventuales sive privatæ,

2) post Missas conventuales etiam lectas.

II Preces post Missam non-conventualem lectam omitti possunt

1) si Missa cum aliqua sollemnitate celebretur, ex. gr.
   a) Missa votiva de Ssmo Corde Jesu prima Feria VI cujusvis mensis juxta Rubricas concessa,
   b) Missa occasione primæ Communionis,
   c) Missa occasione Communionis generalis,
   d) Missa votiva pro Sponsis,
   e) Missa occasione sacræ confirmationis,
   f) Missa occasione sacræ ordinationis,
2) si Missam, quin Celebrans ab Altari recedat, immediate ac rite subsequatur aliqua sacra functio seu pium exercitium. (S. R. C. d. d. 20. Junii 1913.)

III Preces post Missam lectam omitti non possunt,

1) si immediate post Missam sacra Communio administretur; quo in casu sacra Eucharistia administretur post Preces;
2) in oratoriis cujusdam Communitatis religiosæ, dum ipsa Communitas vel lectioni meditationis vel altari Missæ assistit vel ad recipiendam sacram Communionem accedit vel pias preces in communi recitat; quibus in casibus Preces præscriptæ recitentur submissa voce tam a Sacerdote celebrante quam a ministro seu inserviente vel tantum respondente. (S. R. C. d. d. 2 Junii 1916 ad 2 et 3.)

XXX De coloribus Paramentorum

A Prænotanda

1) Sacerdos, Missam celebraturus, deferat vestem convenientem, quæ ad talos pertingat, et sacra ornamenta a Rubricis sui ritus præscripta. (CJC. can. 811 § 1.)
2) Color vestium in Missa in ritu Romano est de præcepto, sed per se non sub gravi; hinc satius est, quocumque die facere Sacrum in quocumque colore, quam illud omittere; quare omnis rationabilis causa excusare videtur. (Cfr. S. Alfonsus VI, 378, dub. 5.[1])
3) Ecclesia Romana quinque coloribus uti consuevit: albo, rubeo, viridi, violaceo et nigro, cui accedit nonnullis in casibus color rosaceus.

B De singulis coloribus in Missa adhibendis

I Color albus adhibetur

A in sequentibus Missis de Tempore:

1) de Nativitate Domini,
2) de Dominica infra Octavam Nativitatis,
3) de die infra Octavam Nativitatis,
4) de Circumcisione, et per Octavam, sicubi celebretur,
5) de Vigilia Epiphaniæ,
6) de Epiphania Domini,
7) de diebus infra Octavam Epiphaniæ, et de die Octava,

[1]) Cfr. Ojetti, Synopsis rerum moralium et juris Pontificii I[3], n. 1308.

8) de Dominica infra Octavam Epiphaniæ,
9) de Feria V in Cœna Domini,
10) de Sabbato sancto,
11) de Pascha et per Octavam,
12) de Dominicis I-V Temporis Paschalis,
13) de Feriis minoribus Temporis Paschalis, præterquam in Missis Rogationum,
14) de Vigilia Ascensionis,
15) de Ascensione,
16) de diebus infra Octavam Ascensionis,
17) de Dominica infra Octavam Ascensionis, et de die Octava,
18) de Feria VI post Octavam Ascensionis,
19) de Festo Ssmi Corporis Christi,
20) de diebus infra Octavam et in die Octava,
21) de Dominica infra Octavam, dummodo fiat Commemoratio Octavæ;

B in sequentibus Missis de Sanctis et de Octava, sicubi celebrentur cum Octava:

I de sequentibus Festis Domini:

1) de Ssma Trinitate,
2) de Ssmo Nomine Jesu,
3) de Ssmo Corde Jesu, et quidem
   a) tam in Missa *Miserebitur*, quamvis dicatur Præfatio de Cruce,
   b) quam in Missa *Egredimini*,
4) de Transfiguratione Domini,
5) de Dedicatione Ecclesiæ vel Altaris Consecratione;

II De Festis B. Mariæ Virginis,

III De Festis sequentium Sanctorum:

1) de Festis Ss. Angelorum,
2) de Nativitate S. Joannis Baptistæ,
3) de Festis S. Joseph Conf., Sponsi B. M.V.,
4) de Festo principali S. Joannis Ap. et Ev.,
5) de utraque Cathedra S. Petri Ap.,
6) de Conversione S. Pauli Ap.,

7) de Festo S. Petri ad Vincula,
8) de Divisione Apostolorum (S. R. C. d. 3400 Dub. II, qu. 2.),
9) de Festo Omnium Sanctorum,
10) de Festo S. Eliæ Prophetæ (S. R. C. d. d. 2497 d.),
11) de Festis Conf. Pont.,
12) de Festis Conf. non Pont.; etiam Sacrorum Stigmatum S. Francisci Conf., die 17 Sept.,
13) de Festis Doctorum,
14) de Festis Abbatum,
15) de Festis Virginum non Martyrum,
16) de Festis nec Virginum nec Martyrum,
17) de S. Maria in Sabbato.

C in sequentibus Missis votivis, quocumque tempore celebrentur:

1) prædictorum Festorum, si de eis Missæ votivæ celebrari valeant,
2) de Creatione et Coronatione Summi Pontificis et in eorum dierum anniversario,
3) de anniversario Electionis et Consecrationis Episcopi,
4) pro Sponsis.

D in sequenti sacra functione:

Dum Diaconus Sabbato sancto cantet *Exsultet* et Præfationem in benedictione Cerei.

II Color ruber adhibetur

A in sequentibus Missis de Tempore:

1) de Vigilia Pentecostes,
2) de Festo Pentecostes,
3) de diebus infra Octavam Pentecostes;

B in sequentibus Missis de Sanctis et de Octava, si celebretur:

I In sequentibus Festis Domini:
1) de S. Cruce,

2) de pretiosissimo Sanguine D. N. J. C.,
3) de Mysteriis et Instrumentis Passionis (S. R. C. d. 3852.).

II In sequentibus Missis de Sanctis:

1) de Decollatione S. Joannis Baptistæ;
2) de Natali Ss. Petri et Pauli App., die 29 Junii;
3) de Festis aliorum Apostolorum, exceptis
   a) Festo principali S. Joannis Ap. et Ev., 27 Dec.,
   b) Conversione S. Pauli Ap.,
   c) utraque Cathedra S. Petri Ap.,
   d) Festo S. Petri Ap. ad Vincula,
   e) Divisione Ss. Apostolorum;
4) de Festo S. Joannis ante Portam Latinam;
5) de Festo Commemorationis S. Pauli Ap.;
6) de Festis Ss. Martyrum, etiam in Festo Ss. Innocentium Mm., die 28 Dec., quando celebretur,
   a) in Dominica,
   b) et (etiam extra Dominicam) sub ritu duplici 1 classis;
7) de Festis Ss. Virginum Martyrum;
8) de Festis Ss. Martyrum non Virginum;
9) de Commemoratione omnium eorum Sanctorum, quorum Reliquiæ in ecclesiis asservantur, die 5 Nov. (S. R. C. d. 2492.)

C in sequentibus Missis votivis, quocumque tempore celebrentur:

1) in Missis votivis prædictorum Festorum, si de eis Missæ votivæ celebrari valeant,
2) in Missis votivis de S. Spiritu,
3) in Missis votivis ad postulandam gratiam Spiritus Sancti,
4) in Missa votiva pro eligendo Summo Pontifice.

III Color viridis adhibetur:

In sequentibus Missis de Tempore, et quidem tam de Dominica minori (etiamsi occurrant infra Octavam aliquam Festi, cui color albus vel rubeus conveniat) quam de Feria minori, extra Tempus Paschale occurrentibus:

1) ab Octava Epiphaniæ usque ad Sabbatum ante Dominicam Septuagesimæ inclusive,
2) a Feria II post Dominicam I post Pentecosten usque ad Sabbatum ante Dominicam I Adventus inclusive, excepta Dominica infra Octavam Ssmi Corporis Christi, si in ea fiat Commemoratio Octavæ, quo in casu adhibetur color albus.

IV Color violaceus adhibetur:

A In sequentibus Missis de Tempore, tam de Dominica majori quam de Feria majori et minori

1) a Dominica I Adventus usque ad Vigiliam Nativitatis inclusive,
2) a Dominica Septuagesimæ usque ad Feriam IV Majoris Hebdomadæ inclusive,
3) de Feria II Rogationum,
4) de Feriis Quatuor Temporum mensis Septembris,
5) de Missis Litaniarum tam majorum quam minorum;

B In sequentibus Missis de Sanctis:

1) in Missa de Ss. Innocentibus die 28 Dec. celebrata extra Dominicam sub ritu duplici 2 classis,
2) in Vigiliis communibus, excepta Vigilia Ascensionis.

C In sequentibus Missis votivis, quocumque tempore celebrentur:

1) de Passione Domini,
2) pro Fidei propagatione, S. R. C. d. 4146,
3) contra paganos,
4) ad tollendum schisma,
5) tempore belli,
6) pro pace,
7) pro vitanda mortalitate,
8) pro remissione peccatorum,
9) pro peregrinantibus et iter agentibus,
10) pro infirmis,
11) ad postulandam gratiam bene moriendi,
12) pro quacumque necessitate.

D In Missis in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum tempore expositionis Ssmi Sacramenti occasione Orationis XL Horarum vel Adorationis Perpetuæ celebratis.

E In sequentibus sacris functionibus:

1) Sabbato sancto, ante Missam, excepto *Exsultet* a Diacono in paramentis albi coloris cantando,
2) in Vigilia Pentecostes a prima Prophetia usque ad benedictionem Fontis inclusive,
3) in Processionibus Litaniarum tam majorum quam minorum,
4) in benedictione Candelarum in Purificatione B. M. V.,
5) in benedictione Cinerum,
6) in benedictione Palmarum.

V Color rosaceus adhibetur

juxta Cæremoniale Episcoporum in ecclesiis Cathedralibus

1) Dominica III Adventus *Gaudete*,
2) Dominica IV Quadragesimæ *Lætare*,

} non tantum in Missis sollemnibus, sed etiam privatis et in Officio. S. R. C. d. 4083 ad 3.

VI Color niger adhibetur

1) Feria VI in Parasceve,
2) in omnibus Missis Defunctorum, excepto casu, de quo supra IV D pag. 327.

C Specialiter notanda

1) Ad Missam Dominicæ, etiam minoris, cum Commemoratione Festi duplicis tum majoris tum minoris ac diei infra Octavam quomodolibet celebrandam, retinetur color proprius Dominicæ. Hac Rubrica Tit. X n. 4 Rubricarum ad normam Bullæ *Divino afflatu* anno 1911 editarum et novissimis Rubricis (tit. X. n. 1) derogatur præscripto Rubricarum generalium Missalis tit. XVIII n. 2 et 3 versus finem.
2) Quoad colorem paramentorum nequit inhærere proprio judicio Sacerdos probabilius judicans Kalendarium errare, sed stare tenetur Kalendario. S. R. C. d. 4031 ad 5.[1])
3) Paramenta varii coloris, etiam flavi vel cærulei prohibentur. S. R. C. dd. 2788, 2704, 3082, 3191.
4) Immo videtur etiam prohibitum uti paramentis telæ aureæ pro rubro et viridi. Nam S. R. C. de hoc interrogata respondit negative in Decr. 2986 nec videtur obstare aliud Decretum 3646; nam Sacræ Congregationi proposita est quæstio: An in *dictis* paramentis (nempe in *pluvialibus*, quæ assumere solent canonici omnes Cathedralis ecclesiæ in functionibus pontificalibus) tela

---

[1]) Nota, quod dicitur *probabilius;* nam si apertus esset et indubius error Ordinis seu Directorii, ex. gr. pro Festo Paschatis colorem violaceum præscribentis, non tenetur stare Ordini, sed album colorem adhibere.

aurea admitti potest pro coloribus tum albi, tum rubri, tum viridis, et S. R. C. respondit: „*In casu* potest adhiberi tela aurea, *ratione pretiositatis.*“ Quare responsio, ut ex verbis ipsis patet, refertur ad casum omnino particularem, et non agit de paramentis Celebrantis. Quare tela aurea tantummodo pro albo colore adhiberi posse videtur, et ut pro eo adhibeatur, fert generalis consuetudo. Sicubi tamen adesset consuetudo utendi paramentis ex tela aurea etiam pro rubro et viridi (nam pro violaceo et nigro numquam licet) ea tolerari posset juxta Decr. S. R. C. 3175, iisque licet uti præsertim in ecclesiis pauperioribus, quæ paramenta singulorum colorum a Rubrica præscriptorum sibi procurare non valent S. R. C. d. 3191.[1])

XXXI De cantu in Missa

1) In qualibet Missa cantus servetur, qui suo ritui conveniat. Nov. Rubr. tit. X. n. 2.

2) Duplex distinguitur cantus in Missa:

a) cantus sollemnis, cujus iterum duo sunt modi

α) sollemnis simpliciter, de præcepto,

β) sollemnior pro Præfationibus, ad libitum;[2])

b) cantus ferialis.

3) Quoad *Gloria in excelsis*, *Credo*, Præfationes, *Pater noster*, *Pax Domini*, *Ite*, *Missa est*, vel *Benedicamus Domino* aut *Requiescant*

[1]) Cfr. Ojetti l. c. n. 1318. [2]) Præfationes in tono sollemniori.

in pace observantur speciales Rubricæ in Missali suo loco positæ.

In specie notandum, quoad Missas votivas et alias:

a) Cantus sollemnis adhibetur:

α) in Missis votivis pro re gravi et publica simul causa celebratis,

β) in Missis tit. II num. 4—9 recensitis; sunt autem

1. Missa in anniversario electionis et coronationis Summi Pontificis,
2. Missa in anniversario electionis, vel, si episcopus ex alia Sede translatus fuerit, translationis et consecrationis Episcopi,
3. Missa in ipsa die Dedicationis Ecclesiæ,
4. Missa Dedicationis in sollemni consecratione Altaris,
5. Missa in benedictione primarii lapidis vel in benedictione sollemni alicujus ecclesiæ;

γ) in Missis tit. IV. num. 1—4 recensitis, sunt autem

1. Missa de Patrono principali, aut Titulo vel Dedicatione propriæ ecclesiæ vel etiam Titulo aut Sancto Fundatore Ordinis seu Congregationis per accidens impeditis;
2. Missa magno cum populi concursu celebrata de Festo, quod transferri vel commemorari aut accidentaliter omitti debeat, aut de Mysterio, Sancto vel Beato, cujus illa die mentio fiat in Martyrologio vel in ejus appendice pro respectivis ecclesiis approbata;

3. Missa de Sollemnitate externa in Dominicam translata Festi Patroni principalis, aut Tituli vel Dedicationis propriæ ecclesiæ, vel etiam Tituli aut Sancti Fundatoris Ordinis seu Congregationis;
4. Missa de Sollemnitate externa in Dominicam translata Festorum, quæ olim alicui Dominicæ minori per annum perpetuo affixa erant;
5. Missæ privatæ celebratæ de Festis duplicibus majoribus vel minoribus aut semiduplicibus, quæ perpetuo vel etiam accidentaliter impediantur.

b) Cantus ferialis adhibetur in Missis votivis, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint.

4) Quoad Orationes sequentia sunt observanda. In Orationibus adhibetur

a) tonus sollemnis:
   α) in ritu duplici (cujusque gradus),
   β) in ritu semiduplici.
   γ) in Missis votivis (intrinsece) sollemnibus pro re gravi et publica simul causa;

b) tonus simplex ferialis:
   α) in Festis simplicibus,
   β) diebus ferialibus,
   γ) in Missis Defunctorum.
   δ) in Missis votivis privatis, etiam cum sollemnitate extrinseca celebratis,
   ε) in omnibus Orationibus benedictionis Candelarum et Palmarum, quæ habent conclusionem longiorem,

ζ) Feria VI in Parasceve:

1. in Oratione *Deus, a quo et Judas,*
2. in Orationibus *Omnipotens,* quæ sequuntur singulas Monitiones;
3. post *Libera nos* post *Pater noster,*

η) Sabbato sancto et in Vigilia Pentecostes:

1. apud Orationes ante Missam,
2. apud Prophetias,
3. apud Orationes benedictionis Fontis.

c) tonus ferialis:

apud omnes Orationes cum conclusione breviore.

III

ELENCHUS MUTATIONUM
IN MISSALIS EDITIONE TYPICA FACTARUM

NOTA

Omnes Mutationes in editione typica Missalis factæ plus sunt quam sexcentæ; sed eas accurate describere longum est intentumque hujus libelli ambitum excedit. Quare præcipuas tantum et eas præsertim, in quibus aliquid novi constituitur, hic enumerare sufficiat. Sunt nempe inter mutationes plurimæ, quæ sint accidentales tantum, in quibus plura quidem rectius et accuratius quam antea disponuntur, quin tamen essentiam tangant et novi quid contineant. Quorum vero interest, omnes omnino Mutationes, Additiones, Variationes, expunctiones cognoscere, hos remittere liceat ad librum a me germanice scriptum, cui titulus est: *Die Neuerungen im Missale,* de quo in Proœmio dixi; ibi habetur accurata omnium Mutationum descriptio.

III

ELENCHUS MUTATIONUM
IN EDITIONE TYPICA FACTARUM

I Mutationes per integrum Missale factæ

1. Indicatio locorum de Scriptura sacra desumptorum in toto Missali facta est ad analogiam Breviarii non jam per litteras, sed per versus.

2. In fine omnium Orationum (Secretarum et Postcommunionum) addita est conclusio (si opus fuerit, uncis inclusa).

II Mutationes in foliis præliminaribus

3. *Ex Decretorum Registro S. R. C.* expunctum ejusque loco posita Constitutio Apostolica Pii PP. X: *Divino afflatu.*

4. In *De anno et ejus partibus* caput *De Nuptiarum Celebratione* mutatum juxta can. 1108 § 1-3 Cod. jur. can.

5. *De anno et ejus partibus* omnino conforme factum eidem Capiti in Breviarii foliis præliminaribus exstanti.

6. Kalendarium Missalis item omnino conforme factum Kalendario Breviarii, attento tamen ritu Festorum S. Joseph (19. Mart.) et S. Michaelis Archangeli (29. Sept.) ad Duplex 1 classis elevato.

7. *Rubricæ in Missarum celebratione servandæ ad normam Bullæ „Divino afflatu“*, quæ per Decr. S. R. C. d. d. 23 Januarii 1912 præscriptæ fuerant post Rubricas generales Missalis addendæ, sunt expunctæ eorumque loco positæ novæ Rubricæ: *Additiones et Variationes in Rubricis Missalis ad Normam Bullæ „Divino afflatu“ et S. R. C. subsequentium Decretorum.*

8. In Ritu servando in celebratione Missæ, tit. I, num. 4 in initio additio quædam facta; nunc nempe ibi legitur: *Si Celebrans sit Episcopus vel Abbas, ut supra.*

9. In ejusdem Ritus servandi in celebratione Missæ tit. XII. num. 6 mutatio parva quidem, sed essentialis quoad recessum Sacerdotis ab altari, in quo non asservatur Ssmum Sacramentum. Loco pristini *caput inclinat* nunc positum est: *se profunde inclinat.* Est ergo in posterum in recessu ab altari facienda eadem *corporis* inclinatio profunda ac in accessu.

10. In ejusdem capitis titulo XIII, numero 4 majores quædam factæ sunt mutationes textus Rubricæ, respicientes Absolutionem ad tumbam.

11. Preces ante et post Missam conformes factæ positis in fine Breviarii.

12. Oratio ad Sanctum, in cujus honorem Missa celebrata est, indulgentia 100 dierum ditata a Benedicto PP. XV. die 16. Nov. 1917.

III Mutationes in Proprio de Tempore 1.

NB. Perplurimæ Rubricæ speciales in Proprio tam de Tempore quam de Sanctis expunctæ, pro iis novæ substitutæ, aliæ emendatæ et correctæ juxta novas Rubricas et Decreta S. R. C., aliæ denique clarius atque distinctius positæ.

13. In Missis de Nativitate Domini Rubricæ additæ quoad purificationem Calicis in binatione et trinatione servandæ.

14. In fine Missæ tertiæ de Nativitate Domini Rubrica sequens addita quoad Missas votivas sollemnes infra Octavam Nativitatis de Christo Domino dicendas: „Si qua, infra Octavam Nativitatis, dicenda sit Missa votiva sollemnis de Christo Domino, sumatur Missa *Puer natus est nobis,* quæ habetur infra die 30. Decembris."

15. Die 26. Dec., in Festo S. Stephani Protomartyris, Rubrica est inserta post Graduale de Missis votivis, item textus additus, qui loco Gradualis Tempore Paschali est dicendus.

16. Die 27. Dec., in Festo S. Joannis Ap. et Ev., Rubrica est inserta post Graduale de Missis votivis, item textus additus, qui loco Gradualis Tempore Paschali est dicendus.

17. Die 28. Dec., in Festo Ss. Innocentium Mm., Rubrica addita, juxta quam *Gloria in excelsis, Alleluja, Ite, Missa est* dicenda, si hoc Festum gaudeat ritu duplici 1 classis.

18. In eodem Festo post Tractum textus additus, qui in Missis votivis Tempore Paschali celebrandis dicitur loco Gradualis.

19. Conformiter ad Breviarium ordo Missarum de S. Thoma Ep. et Mart. et de Dominica

infra Octavam Nativitatis mutatus est, priorem ulteriori loco ponendo, ulteriorem priori.

20. In Festo S. Thomæ Ep. et Mart. Rubricæ et textus additi sunt quoad Missas votivas.

21. Secreta Orationis *Deus, qui salutis* pro diversitate Temporum assignatæ, quæ hucusque erat *Muneribus,* ad evitándas collisiones mutata; in posterum dicenda erit Secreta *Tua, Domine, propitiatione.*

22. In Festo S. Silvestri, die 31. Dec.. Rubrica addita quoad Graduale dicendum in Missis votivis.

23. Conformiter ad Breviarium Missa de Festo Ssmi Nominis Jesu immediate posita post Circumcisionem.

24. In Missa Dominicæ II post Epiphaniam plures positæ Rubricæ speciales quoad Dominicam anticipatam, juxta quas dicenda in tali Dominica *Gloria in excelsis, Credo,* Præfatio de Ssma Trinitate, *Ite, Missa est.*

25. In Missa Feriæ V post Dominicam I Quadragesimæ mutatio essentialis, posito in Secreta loco propitius verbo *propensius.*

26. Feria VI in Parasceve Monitiones positæ cum cantu.

27. Eadem die Improperia dispositæ juxta Decr. S. R. C. 4198, ad 5 pro recitatione per Celebrantem, Diaconum et Subdiaconum facienda.

28. In Postcommunione Sabbati sancti, Dominicæ Resurrectionis et Feriæ II post Pascha in conclusione in posterum dicendum: *in unitate ejusdem Spiritus Sancti.*[1])

---

[1]) Hæc eadem observanda sunt, quoties Tempore Paschali extra Missam fit distributio sacræ Communionis.

IV Mutationes in Ordine Missæ

29. Intonationes Hymni Angelici 4 tantum receptæ, reliquis expunctis.

30. Intonatio Symboli una tantum recepta, ceteris expunctis.

31. Præfationes melius distinctæ, titulis præmissis

in cantu sollemni,
in cantu feriali,
} quibus iterum Rubricæ generales præmittuntur de cantu,

sine cantu.

32. Singulæ Rubricæ de singulis Præfationibus revisæ et de novo redactæ.

33. Nova Præfatio de S. Joseph inserta post Præfationem de B. Maria Virgine.

34. Præfatio de Nativitate in tono feriali ex Appendice priorum editionum desumpta et suo loco inter alias Præfationes inserta.

35. Præfatio de Ascensione in tono feriali hucusque deficiens noviter composita et suo loco inserta.

36. Præfatio Defunctorum nova ultimo loco inserta.

V Mutationes in Canone Missæ

37. Ritus celebrandi melius et clarius descriptus, insertis vel auctis pluribus Rubricis conformiter ad „Ritum celebrandi Missam“ initio Missalis positum.

38. Ex intonationibus *Ite, Missa est* vel *Benedicamus Domino* plurimæ expunctæ et 11 tantum positæ.

39. Initium sancti Evangelii secundum Joannem in extenso positum.

VI Mutationes in Proprio de Tempore 2.)

40. Rubricæ ante Missam in Litaniis majoribus et minoribus dicendam clarius et distinctius compositæ.

41. Ante Dominicam XXIII post Pentecosten iterum Rubrica posita de Dominica anticipata. Cfr. num. 24.

VII Mutationes in Proprio Sanctorum[1])

42. Initio Proprii Sanctorum longior Rubrica generalis magni momenti præmissa quoad Missas votivas.

43. Pro faciliori legibilitate singulorum mensium singuli dies numeris indicantur arabicis, nonjam latinis.

44. Dies 28. Novembris noviter inductus una cum Rubrica de Vigilia S. Andreæ anticipata in Sabbato.

45. Pro singulis Festis Simplicibus etiamsi in Missa Festi nobilioris eadem die occurrentis tantum commemoratis propria indicatur Missa, sive in extenso posita sive de Communi respectivo desumenda.

46. In Festo S. Andreæ die 30. Novembris Rubrica et textus appositi Missas votivas respicientes.

---

[1]) In Missalibus a typographia Pustet pro usu ad altare editis inter Proprium de Tempore et Proprium Sanctorum pro majori Celebrantis commoditate inserta est „Tabula Orationum" sæpius dicendarum. Continet 25 Orationes (una cum respectivis Secretis et Postcommunionibus) impressas in charta firmiore, munita ad facilius inveniendas Orationes signaculis, quæ vocant, marginalibus.

47. Dies 1. Decembris noviter inductus una cum Rubrica quoad Missam pro Defunctis et Orationem *Fidelium* dicendas prima die mensis libera.

48. Die 13. Decembris in Festo S. Luciæ Virg. et Mart. post Graduale Rubrica inserta quoad Missas votivas.

49. Dies 19. Decembris noviter inductus una cum Rubrica de Vigilia S. Thomæ Ap. anticipata in Sabbato.

50. Die 21. Decembris in Festo S. Thomæ Ap. in fine Missæ Rubrica et textus appositi Missas votivas respicientes.

51. Die 15. Januarii in Festo S. Pauli, primi Eremitæ, et die 16. Januarii in Festo S. Marcelli Papæ et Mart. Tractus pro Tempore Septuagesimali expunctus, cum hæc Festa non amplius post Septuagesimam transferri valeant.

52. Die 19. Januarii conformiter ad Breviarium primo loco posita Missa de Ss. Mario, Martha, Audiface et Abachum Mm., posteriori loco Missa de S. Canuto Rege, Mart.

53. Eadem die 19. Januarii in Festo S. Canuti nonjam dicendum Evangelium *Si quis vult* ex Missa *Sacerdotes Dei*, sed Evangelium *Nolite arbitrari* ex Missa diei *In virtute;* porro Secreta et Postcommunio in posterum nonjam sumenda ex Missa *In virtute*, sed ex Missa *Lætabitur*.

54. Die 27. Januarii in Festo S. Joannis Chrysostomi post Tractum Rubrica apposita circa Missas votivas Tempore Paschali celebrandas.

55. In eadem Missa textus Secretæ initio mutatus conformiter ad mutationem Secretæ in Communi Doctorum factam; dicendum

ergo in posterum: *Sancti Joannis Chrysostomi Pontificis tui atque Doctoris nobis, Domine, etc.*

56. Die 31. Januarii in Festo S. Petri Nolasci Secreta et Postcommunio in posterum nonjam desumendæ ex Missa *Justus*, sed ex Missa *Os justi*, de eodem Communi 1 loco.[1])

57. Initio mensis Februarii Rubrica inserta quoad Missam pro Defunctis et Orationem *Fidelium* dicendas prima die mensis libera.

58. Die 1. Februarii in Festo S. Ignatii Ep. et Mart. post Tractum Rubrica et textus appositi quoad Missas votivas Tempore Paschali dicendas.[2])

59. Ante Missam Festi Purificationis B. Mariæ Virg. die 2. Februarii sequens Rubrica posita: „Hodie prohibetur quælibet Missa votiva, etiam sollemnis, de Christo Domino".

Ratio est, quia hoc Festum non solum est Festum B. M. V., sed etiam Christi Domini: Præsentatio pueri Jesu in templo.

60. Die 11. Februarii in Festo Apparitionis B. M. V. immaculatæ post Tractum *Alleluja* cum Versu sequenti expunctum. In posterum ergo Missæ votivæ de Apparitione B. M. V. immaculatæ nonjam permittuntur ideoque Decr. S. R. C. 4238 abrogatum est.

---

[1]) Tautologia in Oratione occurrens: *Deus, . . . qui divinitus docuisti*, adhuc clamat ad correctionem.

[2]) Juxta Rubricam initio Proprii Sanctorum positam in Missis votivis Tempore Paschali celebrandis per se dicendus esset Introitus *Protexisti* et Communio *Lætabitur justus*. Dubitandum vero, an non sint retinenda Introitus et Communio ex Missa Festi propria. Exspectanda ergo Declaratio S. R. C.

61. In Festo S. Valentini Presbyteri et Mart. die 14. Februarii Secreta *Oblatis* expuncta, ad evitandam collisionem cum Secreta Feriæ III post Domin. I Quadrag. eique substituta nova Secreta *Suscipe.*

62. Ex eadem ratione in Festo Ss. Faustini et Jovitæ Mm. die 15. Februarii Secreta *Oblatis* et Postcommunio *Hæc nos* suppressa eorumque loco in posterum dicenda Secreta *Adesto* et Postcommunio *Quæsumus* ex Missa *Intret.*

63. Die 24. vel 25. Februarii, in Festo S. Matthiæ Ap. in fine Missæ Rubrica et textus appositi Missas votivas respicientes.

64. Post titulum *Festa Martii* Rubrica apposita quoad Missam pro Defunctis et Orationem *Fidelium* dicendas prima die mensis libera.

65. Die 4. Martii in Missa S. Lucii I. Papæ et Mart. ad evitandas collisiones Secreta *Munera* et Postcommunio *Hæc nos,* utraque desumpta ex Missa *Sacerdotes Dei,* deleta eorumque loco posita Secreta *Hostias* et Postcommunio *Refecti,* ex Missa *Statuit.*

66. Die 6. Martii in Festo Ss. Perpetuæ et Felicitatis Mm. ad præcavendas collisiones cum Feria II post Domin. III Quadragesimæ Postcommunio *Præsta* expuncta, ejusque loco posita Postcommunio nova *Mysticis, Domine.*

67. Die 10. Martii in Festo Ss. Quadraginta Martyrum ad evitandam collisionem cum Feria V post Cineres et Dominica IV Quadrag. Secretæ *Sacrificiis* substituta Secreta omnino nova *Preces, Domine.*

68. Item in eodem Festo Postcommunio *Quæsumus* ad evitandam collisionem cum Feria III post Domin. I Quadrag. sublata ejusque loco posita Postcommunio nova *Sanctorum tuorum.*

69. Die 23. Aprilis in Festo S. Georgii Mart. in posterum extra Tempus Paschale sumendum Evangelium *Nolite arbitrari* ex Missa *In virtute* loco Evangelii *Si quis venit* ex Missa *Statuit*.
70. Idem valet de Evangelio in Festo S. Fidelis a Sigmaringa Mart. die 24. Aprilis.
71. Die 25. Aprilis in Festo S. Marci Ev. in fine Missæ Rubrica addita circa Missas votivas extra Tempus Paschale.
72. Die 28. Aprilis in Festo S. Pauli a Cruce ante Graduale Rubrica apposita circa Missas votivas extra Tempus Paschale.
73. Die 29. Aprilis in Festo S. Petri Mart. in posterum loco Evangelii *Si quis vult* ex Missa *Sacerdotes Dei* dicendum erit Evangelium *Nihil est opertum* ex Missa diei assignata *Lætabitur*.
74. Post *Festa Maji* Rubrica apposita quoad Missam pro Defunctis et Orationem *Fidelium* dicendas prima die mensis libera.
75. In Missa votiva de Ss. Philippo et Jacobo App., dicenda extra Tempus Paschale, apposita nova Epistola; in posterum nempe loco Epistolæ *Stabunt justi* dicenda Epistola *Unicuique nostrum* (Eph. 4, 7—13).
76. In eadem Missa votiva appositus Tractus novus et novum Offertorium.
77. Die 7. Maji in Festo S. Stanislai Ep. et Mart. In Missis extra Tempus Paschale nonjam dicendum Evangelium *Si quis venit* ex Missa *Statuit*, sed Evangelium *Si quis vult* ex Missa *Sacerdotes Dei*.
78. Die 18. Maji in Festo S. Venantii Martyris non jam extra Tempus Paschale dicendum Evangelium *Si quis venit* ex Missa *Statuit*, sed Evangelium *Nolite arbitrari* ex Missa *In virtute*.

79. Die 26. Maji in Missa pro S. Eleutherio Papa et Mart. Secreta *Munera* in posterum dicenda loco *Hostias*, item Postcommunio *Hæc nos* loco *Refecti.*
80. Die 30. Maji in Festo S. Felicis I Papæ et Mart. item in posterum dicenda Secreta *Munera* loco *Hostias* et Postcommunio *Hæc nos* loco *Refecti.*
81. In Missis votivis de sacratissimo Corde Jesu post Septuagesimam in posterum nonjam dicendum Graduale *Improperium*, sed Graduale *O vos omnes.*[1])
82. Post *Festa Junii* Rubrica addita quoad Missam pro Defunctis et Orationem *Fidelium* dicendas prima die mensis libera.
83. Die 2. Junii in Festo Ss. Marcellini, Petri atque Erasmi post Missam Rubrica et textus appositi quoad Missam Tempore Paschali dicendam.
84. Item die 9. Junii in Festo Ss. Primi et Feliciani Mm. Rubrica et textus appositi quoad Missam Tempore Paschali dicendam.
85. Die 18. Junii in Festo Ss. Marci et Marcelliani Mm. Rubrica et textus appositi de Missa Tempore Paschali dicenda.
86. Item die 19. Junii post Missam de Ss. Gervasio et Protasio Mm. Rubrica et textus appositi quoad Missam Tempore Paschali dicendam.
87. Die 21. Junii in Festo S. Aloisii Gonzagæ Conf. post Graduale textus appositus, dicendus loco Gradualis Tempore Paschali.

---

[1]) Ad correctionem clamat Communio hujus Festi propter maxime opposita juxta se posita: *Improperium exspectavit cor meum et miseriam: et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit: et qui consolaretur, et non inveni — alleluja!* Simile quid dicendum de Communione Festi Ss. Innocentium (in Missis votivis Tempore Paschali) et de Communione Ssmi Corporis Christi.

88. Die 24. Junii in Festo S. Joannis Baptistæ huic diei iterum affixo post Missam Rubrica et textus appositi quoad Missas votivas.
89. Dies 27. Junii noviter additus cum Rubrica de Vigilia Ss. Petri et Pauli App. anticipata.
90. Die 29. Junii in Festo Ss. Petri et Pauli App. post Missam tres additæ Rubricæ circa Missas votivas, quarum prima agit de Missa votiva Ss. Petri et Pauli App.; altera, cui etiam adjungitur textus, de Missa votiva de S. Petro Ap. seorsim a S. Paulo, tertia item de votiva de S. Paulo seorsim a S. Petro.
91. Post *Festa Julii* Rubrica apposita quoad Missam pro Defunctis et Orationem *Fidelium* dicendas prima die mensis libera.
92. Die 1. Julii positum est juxta Decr. S. R. C. d. d. 28. Oct. 1913 Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. In Oratione verba *sollemni cultu* uncis rubris inclusæ propter Missas votivas, in quibus sunt omittenda.
93. Die 10. Julii in Festo Ss. Septem Fratrum Mm., ac Rufinæ et Secundæ Vv. et Mm. post Graduale Rubrica et textus appositi pro Missis votivis Tempore Paschali celebrandis.
94. Die 20. Julii in Festo S. Hieronymi Æmiliani Conf. item post Graduale Rubrica et textus additi pro Missis votivis Tempore Paschali celebrandis.
95. Die 25. Julii in Festo S. Jacobi Ap. in fine Missæ Rubricæ et textus additi pro Missis votivis.
96. Item die 26. Julii in Festo S. Annæ in fine Missæ Rubricæ et textus additi pro Missis votivis.
97. Post *Festa Augusti* Rubrica apposita quoad Missam pro Defunctis et Orationem *Fidelium* dicendas prima die mensis libera.

98. Die 7. Augusti Festum S. Donati Ep. et Mart. nova Missa donatum.
99. Die 8. Augusti in Festo Ss. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mm. post Missam Rubrica et textus additi quoad Missas votivas.
100. Item die 10. Augusti in Festo S. Laurentii Mart. post Missam Rubrica et textus additi Missas votivas respicientes.
101. Deinde eadem die sequens Rubrica addita circa Octavam simplicem: „Infra Octavam S. Laurentii nihil fit de ea; sed, si celebretur Missa votiva de eodem S. Laurentio, in ea dicitur *Gloria*.
102. Festum S. Joachim diei 16. Augusti affixum juxta Decr. S. R. C. d. d. 28. Oct. 1913. translato Festo S. Hyacinthi Conf. in diem sequentem.
103. Versiculus Gradualis *O Joachim* aliquantulum mutatus; nempe: *O Joachim, sanctæ conjux Annæ, pater almæ Virginis, hic famulis ferto salutis opem.*
104. Post Graduale Rubrica et textus additi Missas votivas respicientes.
105. Post Festum S. Philippi Benitii Conf. additum: Eadem die 23. Augusti, In Vigilia S. Bartholomæi Ap. Missa *Ego autem*, de Communi in Vigiliis Apostolorum.
106. Die 24. Augusti in Festo S. Bartholomæi Ap. post Missam Rubrica addita quoad Missas votivas.
107. Die 28. Augusti in Festo S. Augustini Ep., Conf. et Eccl. Doct. Secreta et Postcommunio conformiter posita Secretæ et Postcommunioni in Missa *In medio* exstantibus.
108. Post *Festa Septembris* Rubrica addita quoad Missam pro Defunctis et Orationem *Fidelium* dicendas prima die mensis libera.
109. Die 8. Septembris post Missam de Nativitate B. Mariæ Virg. duæ Rubricæ additæ:

„Infra Octavam nihil fit de ea; sed Missæ votivæ de beata Maria Virgine et Missa de Officio ejus in Sabbato dicuntur ut in Festo, additis 2ª Oratione de Spiritu Sancto, et 3ª contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa."

„Item si, ratione alterius Octavæ alicubi celebratæ, dicenda sit 2ª vel 3ª Oratio de sancta Maria, dicitur de ejus Nativitate, ut supra."

110. Festum Ssmi Nominis Mariæ anno 1911 diei 12. Septembris perpetuo assignatum a Dominica infra Octavam Nativitatis B. M. V. in hunc diem translatum est, omissis omnibus Rubricis Dominicam respicientibus.

111. Die 15. Septembris juxta Decr. S. R. C. d. d. 28. Oct. 1913 positum est Festum Septem Dolorum B. M. V., a Dominica III Septembris huc translatum. Ante Introitum Rubrica inserta de occurrente hac eadem die 15. Septembris die Octava simplici Nativitatis B. M. V.

112. Die 18. Septembris in Festo S. Josephi a Cupertino Conf. post Graduale Rubrica et textus additi de Missis votivis Tempore Paschali celebrandis.

113. Die 21. Septembris in Festo S. Matthæi Ap. et Ev. post Missam Rubrica addita de Missis votivis.

114. Die 22. Septembris in Festo S. Thomæ a Villanova Ep. et Conf. in posterum dicenda loco Secretæ *Sancti tui*, Secreta *Sancti Thomæ*, item loco Postcommunionis *Præsta*, Postcommunio *Deus, fidelium remunerator*, utraque ex Missa *Sacerdotes tui*.

115. Die 28. Septembris in Festo S. Wenceslai Ducis, Mart. loco Evangelii *Si quis vult* dicendum Evangelium *Nolite arbitrari*, ut habeatur conformitas cum Breviario.

116. Die 29. Septembris in Festo S. Michaëlis Archangeli, per Decr. S. R. C. d. d. 12. Decembris 1917 ad Duplicem 1 classis evecto, post Missam Rubrica addita quoad Missas votivas.

117. Post *Festa Octobris* Rubrica addita quoad Missam pro Defunctis et Orationem *Fidelium* dicendas prima die mensis libera.

118. Die 4. Octobris in Festo S. Francisci Conf. post Graduale Rubrica et textus inserti quoad Missas votivas Tempore Paschali celebrandas.

119. Die 7. Octobris: Huc translatum e Dominica I Octobris juxta Decr. S. R. C. d. d. 28. Oct. 1913 Festum sacratissimi Rosarii B. M. V. cum Commemoratione, in Missis privatis tantum, S. Marci Papæ et Conf. ac Ss. Sergii et Sociorum Mm.

120. In eadem Missa omnes Rubricæ Dominicam respicientes expunctæ.

121. In eadem Missa post Secretam Rubrica addita: „Præfatio de B. Maria Virg. *Et te in Festivitate.*“ In posterum ergo non jam dicendum *Et te in sollemnitate.*

122. Die 18. Octobris in Festo S. Lucæ Ev. post Missam Rubrica addita de Missis votivis.

123. Die 20. Octobris in Festo S. Joannis Cantii Conf. post Graduale Rubrica et textus appositi quoad Missas votivas Tempore Paschali celebrandas.

124. Die 28. Octobris in Festo Ss. Simonis et Judæ App. post Missam Rubrica addita de Missis votivis.

125. Dies 30. Octobris noviter insertus cum Rubrica de Vigilia Omnium Sanctorum anticipata.

126. Die 1. Novembris in Festo Omnium Sanctorum post Missam Rubrica addita de Missa votiva Omnium Sanctorum.[1])

127. Die 2. Novembris, vel, si in Dominicam inciderit, die 3 sequenti:

In Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum tres Missæ pro hac die concessæ positæ sunt cum Rubricis binationem et trinationem spectantibus.

128. Die 8. Novembris post diem Octavam Omnium Sanctorum nova Missa inserta pro Ss. Quatuor Coronatis, quorum hac die Festum celebratur.

129. Die 10. Novembris in Missa pro Ss. Mm. Tryphone, Respicio et Nympha Virg. Epistola parumper mutata; loco *Fratres: Non sunt condignæ* in posterum dicendum: *Fratres: Existimo, quod non sunt condignæ*, sicuti in Epistola Dominicæ IV post Pentecosten.

130. Die 11. Novembris in Festo S. Martini Ep. et Conf. post Graduale Rubrica et textus inserti pro Missis votivis Tempore Paschali celebrandis.

131. Eadem die loco Secretæ *Da, misericors Deus*, ad evitandam collisionem cum Secreta Dominicæ XXII post Pentec., posita est Secreta omnino nova *Sanctifica, quæsumus*.

132. Die 14. Novembris in Festo S. Josaphat Ep. et Mart. post Graduale Rubrica inserta de Missis votivis.

---

[1]) In editionibus Pustet hæc Missa votiva pro majori Celebrantis commoditate in extenso posita, et quidem pro utroque Tempore.

VIII Mutationes in Communi Sanctorum et partibus subsequentibus

133. Titulus *In Vigiliis Apostolorum* conformiter positus Breviario.

134. Post Orationem *Da, quæsumus* altera Oratio *Quæsumus* apposita pro casu, quod prior dicta jam fuerit in Missa vel Commemoratione de Communi Conf. Pont.

135. In fine ejusdem Communis sequens Rubrica addita: „In singulis Communibus Epistolæ et Evangelia, quæ habentur, sive in Missis, sive ad calcem totius Communis, sumi possunt in qualibet Missa de eodem Communi, dummodo tamen certa Missa, dicenda in casu, prouti jacet, vel certa Epistola aut certum Evangelium in Missali non fuerint assignata.

136. Singula Communia melius disposita; item conformiter ad Breviarium Commune plurimorum Martyrum extra Tempus Paschale positum ante Commune Martyrum Tempore Paschali.

137. In Communi plurimorum Martyrum extra Tempus Paschale Missæ *Salus autem* Evangelium principale assignatum *Attendite a fermento pharisæorum*, Evangelio hucusque principali *Sedente Jesu* ad calcem istius Communis posito.

138. In Communis Doctorum Missa *In medio* duplex Secreta posita, una pro Doctore Pontifice, altera pro Doctore non Pontifice, in quarum alterutra character liturgicus Doctoris exprimitur; ergo

Pro Doctore Pontifice Secreta: *Sancti N. Pontificis tui atque Doctoris nobis, Domine etc.*

Pro Doctore non Pontifice Secreta: *Sancti N. Confessoris tui atque Doctoris nobis, Domine etc.*

139. In Communi Dedicationis Ecclesiæ Orationes aliquantulum aliter dispositæ.

140. In eodem Communi post Secretam *Deus, qui sacrandorum* sequens Rubrica de Præfatione posita: „Præfatio communis, quæ dicitur etiam Tempore Quadragesimæ, etsi occurrant Commemoratio aliqua aut Octava communis Præfationem propriam non habentes, quæ non sint de aliquo Mysterio Domini.“ [1])

141. Conformiter ad Breviarium noviter inductum *Commune Festorum B. Mariæ Virg.*, compositum ex Missis votivis B. M. V.

142. Immediate post hoc Commune sequuntur 5 Missæ de sancta Maria in Sabbato, dispositæ etiam ut Missæ votivæ de B. M. V. pro diversitate Temporum assignatæ.

143. In harum Missarum secunda Secreta *Muneribus* ad præcavendas collisiones supressa est ejusque loco posita Secreta *Tua, Domine.*

144. In fine Missæ quintæ sequens addita est Rubrica: „Si tamen Missa de sancta Maria in Sabbato dici debeat infra Octavas simplices ejusdem B. Mariæ Virginis, dicitur

---

[1]) Stricte interpretando sequeretur ex hac Rubrica, haberi Octavas communes etiam Tempore Quadragesimæ! *„Brevis esse laboro, obscurus fio!“* Sensus est: „Præfatio communis, quæ dicitur (semper), etiam Tempore Quadragesimæ, etsi occurrant Commemoratio aliqua (extra et intra Tempus Quadragesimæ) aut Octava communis (extra Tempus Quadragesimæ) Præfationem propriam habentes, quæ non sit de aliquo Mysterio Domini.“ Cfr. supra tit. VIII, num. 2, pag. 59 et 60.

ut in Festo respectivo, cum 2ª tamen et 3ª Oratione pro diversitate Temporum assignatis.

145. Missæ votivæ in duas classes distinctæ:
I Missæ votivæ, quæ loco conventualis de Feria in Choro suffici possunt;
II Missæ votivæ ad diversa.

146. Feria IV dici potest loco Missæ conventualis de Feria Missa votiva de Patrono principali Oppidi vel Civitatis, Diœcesis, Provinciæ et Nationis, vel de Titulari ecclesiæ propriæ, vel de Titulo vel Sancto Fundatore Ordinis seu Congregationis.

147. Feria IV habetur etiam Missa votiva de uno Apostolo, de quo in Missali non habetur Missa propria.

148. Missæ votivæ ad diversa aliter dispositæ, recepta etiam Missa votiva de fidei propagatione. Vide supra pag. 73 et 74.

149. In Orationibus diversis post Orationem *A cunctis* altera apposita est Oratio *A cunctis* pro casu, quod Missa vel Commemoratio fuerit de B. Maria Virgine.

150. In Missis Defunctorum primo loco iterum positæ sunt tres Missæ in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum.

151. In fine tertiæ Missæ sequens addita Rubrica: „Pro defuncto Summo Pontifice tum in die obitus seu depositionis tum in anniversario dicitur prima Missa ex iis, quæ habentur in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, adhibitis tamen Orationibus, quæ infra habentur inter Orationes diversas. Idem servatur pro defunctis Cardinalibus, Episcopis et Sacerdotibus, cum Orationibus propriis item ut infra Orationes diversas.

152. Rubrica in prioribus editionibus Missalis post Missas Defunctorum posita, juxta quam Epistolæ et Evangelia superius posita in una Missa Defunctorum dici poterant etiam in alia Missa similiter Defunctorum, expuncta ideoque censenda est abrogata. In posterum ergo Mutatio non amplius licita est.

153. Orationes diversæ pro Defunctis melius dispositæ. Ubique littera N. apposita est.

154. In ultima ex iis correctio textus facta, et quidem in Postcommunione loco *et clementer indulgeas et in tuorum sede lætantium constituas redemptorum* positum est *clementer indulgeas et eas in tuorum lætantium redemptorum sede constituas.*

155. Post Orationes diversas pro Defunctis sequitur, quæ hucusque in Missali non exstabat, sed tantum in fasciculo separato, cui Titulus *„Missæ pro Defunctis“*, Absolutio super tumulum, ita quidem, ut diversa formularia, pro diversis casibus proposita, in unum contracta exhibeantur.

156. Benedictionum nonnullæ expunctæ.

IX Mutationes in Appendice pro aliquibus locis

157. Ex plus quam ducentis Missis prioris Appendicis pro aliquibus locis nova in Appendice receptæ sunt tantum 57 Missæ, quibus additæ sunt 5 novæ Missæ, ita ut nunc sint 62 Missæ, quæ, in tres classes distributæ, inter se ordinatæ sunt ratione dignitatis. Festa autem recepta sunt hæc:

I In honorem D. N. J. C.:

1. Sanctæ Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph (die 19. Januarii);

2. Ssmi Redemptoris (die 15. Julii vel 23. Octobris);
3. Sacratissimi Cordis Jesu (Feria VI post Octavam Corporis Christi), Missa *Egredimini;*[1])
4. Fugæ D. N. J. C. in Ægyptum (die 17. Februarii);
5. Orationis D. N. J. C. (Feria III post Dom. Septuagesimæ);
6. In Commemoratione Passionis D. N. J. C. (Feria III post Dom. Sexagesimæ);
7. Sacræ Spineæ Coronæ D. N. J. C. (Feria VI post Cineres);
8. Sacr. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C. (Feria VI post Dom. I Quadrag.);
9. Sacratissimæ Sindonis D. N. J. C. (Feria VI post Dom. II Quadrag.);
10. Sacrorum Quinque Vulnerum D. N. J. C. (Feria VI post Dom. III Quadrag.);
11. Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. (Feria VI post Dom. IV Quadrag.).

II In honorem B. Mariæ Virg.:

1. In Desponsatione B. M. V. cum S. Joseph (die 23. Januarii);
2. In Exspectatione Partus B. M. V. (die 18. Decembris);
3. Purissimi Cordis B. M. V. (Sabbato post Oct. Corporis Christi);
4. Maternitatis B. M. V. (die 11. Octobris);
5. Puritatis B. M. V. (die 16. Octobris);
6. Humilitatis B. M. V. (die 17. Julii);
7. B. M. V. de bono Consilio (die 26. April.);
8. B. M. V. immaculatæ a sacro Numismate (die 27. Novembris);

[1]) Sicut in Missa *Miserebitur*, etiam in hac Missa Graduale *Improperium* expunctum ejusque loco dicendum Graduale per Annum.

9. B. M. V. titulo Auxilium Christianorum (die 24. Maji);
10. B. M. V. titulo Refugium Peccatorum (die 13. Augusti);
11. B. M. V. titulo Salus Infirmorum (Sabbato ante Dom. ultim. Augusti);
12. B. M. V. Reginæ Apostolorum (Sabbato infra Octavam Ascensionis);
13. B. M. V. Reginæ Sanctorum Omnium et Matris pulchræ Dilectionis (die 31. Maji);
14. B. M. V. Divini Pastoris Matris (die 3. Septembris);
15. B. M. V. Divinæ Providentiæ Matris (Sabbato ante Dom. III Novembris);
16. B. M. V. de Consolatione (Sabbato post Festum S. Augustini E. C. D.);
17. B. M. V. Matris de Gratia (die 9. Junii);
18. B. M. V. Matris Misericordiæ (Sabbato ante Dom. IV Julii);
19. B. M. V. de perpetuo Succursu (die 27. Junii);
20. In Translatione Almæ Domus B. M. V. (die 10. Decembris).

III In honorem Sanctorum:

1. S. Gabrielis Archangeli (die 24. Martii);
2. S. Raphaelis Archangeli (die 24. Octobris);
3. In Commemoratione Omnium Ss. Summorum Pontificum (die 3. Julii);
4. S. Irenæi Ep. et Mart. (die 4. Julii);
5. S. Emigdii Ep. et Mart. (die 9. Augusti);
6. S. Gregorii Ep. majoris Armeniæ et Mart. (die 1. Octobris);
7. S. Joannis Nepomuceni Mart. (die 16. Maji);

8. Sacrarum Reliquiarum (die 5. Novembris);
9. S. Ildefonsi Ep. et Conf. (die 23. Januarii);
10. S. Joannis Francisci Regis Conf. (die 16. Junii);
11. S. Laurentii a Brundusio Conf. (die 7. Julii);
12. S. Petri Claver Conf. (die 9. Septembris);
13. B. Joannis Leonardi Conf. (die 9. Octobris);
14. S. Leonardi a Portu Mauritio Conf. (die 26. Novembris);
15. S. Joannis Bapt. de Rossi Conf. (die 23. Maji);
16. S. Joannis Berchmans Conf. (die 13. Augusti);
17. S. Stanislai Kostkæ Conf. (die 13. Novembris);
18. S. Gabrielis a Virgine Perdolente Conf. (die 27. Februarii);
19. S. Rochi Conf. (die 16. Augusti);
20. S. Ferdinandi Regis Conf. (die 30. Maji);
21. S. Isidori Agricolæ Conf. (die 15. Maji);
22. S. Benedicti Josephi Labre Conf. (die 16. Aprilis);
23. S. Philumenæ Virg. et Mart. (die 11. Augusti);
24. S. Rosæ Viterbiensis Virg. (die 4. Septembris);
25. S. Veronicæ de Julianis Virg. (die 9. Julii);
26. S. Margaritæ Mariæ Alacoque Virg. (die 17. Octobris);
27. S. Joannæ de Arc Virg. (die 30. Maji);
28. S. Helenæ Imp. Viduæ (die 18. Augusti);

29. S. Catharinæ Fliscæ Adurnæ Viduæ (die 22. Martii);
30. S. Ritæ a Cassia Viduæ (die 22. Maji).
31. S. Margaritæ de Cortona Pœnitentis (die 26. Februárii);

158. Supplementi instar additum est Commune Sanctorum pro aliquibus locis, juxta Decr. S. R. C. d. d. 22. Maji 1914.
Continet Commune
1. plurium Conf. Pont.,
2. plurium Conf. non Pont.,
3. plurium Virginum:
   a) pro Virginibus et Martyribus,
   b) pro Virginibus tantum,
4. plurium non Virginum:
   a) pro Martyribus,
   b) pro non Martyribus.

159. Post quæ sequitur Index. Missa pro Fidei Propagatione, Præfatio de Nativitate Domini in tono feriali, Orationes in detectione Crucis Feria VI Parasceves in cantu suis locis in corpore Missalis inserta.

160. Altera Appendix continens Tonos communes Missæ et Præfationes in cantu sollemniori necnon Cantus ad libitum in novo Missali nonjam recepta est.

Corrigenda

Pag. 150 supra num. 3 loco: cujus etiam legitur Evangelium in fine, *lege:* cujus tamen Evangelium non legitur in fine, quia idem est ac Evangelium principale Missæ.

INDEX RERUM NOTABILIUM

A.

Abhinc duos annos 3.
Absolutio super tumulum 76, 354.
Additiones et Variationes in Rubricis Missalis 7—64, 68.
Alleluja 217.
Anniversaria Defunctorum 196 ss.
Anniversarium stricte dictum 30, 196.
— late dictum 32, 196.
Anniversarium propriæ ordinationis sacerdotalis 270 s.
— Summi Pontificis 21, 22, 151 s.
— Episcopi 21, 22, 152 s.
Appendix pro aliquibus locis 354.

B.

Benedicamus Domino 132, 163, 165, 329. 339.
Benedictio Candelarum 24.
Benedictio nuptialis 17—19, 160 ss.
— circumstantiæ 160.
— personæ accipientes 161.
— administrans 162.
— ritus 163.
Benedictiones variæ 76.
Benedictus XIV. 224.

C.

Cantus in Missa 63, 329 ss.
Causa rationabilis pro absentia cadaveris Defuncti in Missa exsequiali 180.
Cavalieri 194 s.
Clemens VIII 67.

Collectæ 51—54, 271 ss.
— notio 271.
— ratio 271.
— distinctio 272.
— auctor 273.
— numerus 273.
— locus 273.
— conclusio 274.
— prohibentur 274 ss.
— ordo 276.
— pro Defunctis 52, 276 s.
— substitui potest Orationi 3. ad libitum 46, 273.
Color paramentorum 63, 322 ss.
— albus 322 ss.
— ruber 324 ss.
— viridis 326.
— violaceus 326.
— rosaceus 327.
— niger 328.
Commemorationes 40—45, 232 ss.
— in Missa diei 40, 41, 232.
— in Missis votivis privatis 41, 42, 235.
— in Missis votivis sollemnibus pro re gravi et publica simul causa 42, 43, 236.
— in Missis de sollemnitate externa in Dominicam translata 42, 43, 236.
— si plures habeantur Missæ cantatæ aut conventuales 44, 242.
Commemorationes communes 244 ss.
— quæ sint 244.
— in quibus Missis dicantur 245.
— quo numero dicantur 246.
— quibus temporibus dicantur 247.
Commune Sanctorum 70.
— pro aliquibus locis 77, 358.
Communicantes 44, 132, 312 s.
Concursus populi 37, 148.
Consecratio Episcopi 21.
— altaris 23.

Credo 44, 57, 58, 132, 165, 169, 212, 287 ss., 329, 338.
— dicitur 287 ss.
— — ratione mysterii 287.
— — ratione doctrinæ 289.
— — ratione sollemnitatis 290.
— non dicitur 292.

D.

De anno et ejus partibus 67.
Dedicatio ecclesiæ 22, 23, 154 s.
Defectus in Missarum celebratione occurrentes 69.
Dies iræ 287.
Dies III, VII, XXX ab obitu vel depositione 30, 194.
Discrimen inter Patronum loci et Titulum ecclesiæ 133.
Distinctio Missarum 77.
Divino afflatu 3, 7, 34, 68, 285, 328.
Dominica XXIII post Pentecosten 340.

E.

Ecclesiæ dedicatio 21, 22, 23, 154 s.
Electio Episcopi 21.
Evangelium in fine Missæ 60—62, 313 ss.
— Officii commemorati 62, 313.
— stricte proprium 62, 63, 315 s.
— appropriatum 315 s.
— S. Joannis 319 s.

F.

Feria et Vigilia 7—16.
Feriæ majores non privilegiatæ proprium Missam habentes 7 ss.
Feriæ Rogationum 10—13.
Feria V post Domin. I Quadrag. 338.
Feria VI in Parasceve 338.
Feria II et III post Pascha 106.
Feria II et III post Pentecosten 106.
Festa olim alicui Dominicæ minori perpetuo affixa 145 ss.
Festa de præcepto 106.

Festa suppressa 106 ss.
Festa pro aliquibus locis 354.
Festorum sollemnitas externa in Dominicam translata 143 ss.
Festa Domini:
— Ascensionis 106, 108.
— Circumcisionis 107, 316.
— Commemorationis Passionis D. N. J. C. 355.
— Cordis Jesu 316, 345, 355.
— Coronæ Spineæ 316, 355.
— Corporis Christi 106.
— Crucis Exaltatio 315, 316.
— — Inventio 107, 315, 316.
— Epiphania 107, 108.
— Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph 146, 316, 354.
— Fugæ in Ægyptum 316, 355.
— Inventio pueri Jesu in medio Doctorum 146.
— Lanceæ et Clavorum 316, 355.
— Nativitatis D. N. J. C. 107, 108, 337.
— Nominis Jesu 316, 338.
— Orationis 316, 355.
— Paschatis 108.
— Pentecostes 108.
— Redemptoris 147, 316, 355.
— Sanguinis Pretiosissimi 145, 316, 346, 355.
— Sepulcri 146, 316.
— Sindonis 316, 355.
— Transfigurationis 316.
— Vulnerum Quinque 316, 355.
Festa B. Mariæ Virginis:
— Annuntiationis 107, 316.
— Apparitionis B. M. V. immaculatæ 342.
— Assumptionis 107, 108, 316.
— Auxilium Christianorum 356.
— de Carmelo Monte 316.
— Conceptionis immaculatæ 106, 108, 316.
— de bono Consilio 355.
— de Consolatione 147, 356.
— Cordis purissimi 147, 355.

Festa B. Mariæ Virginis:
— Desponsationis 316, 355.
— Dolorum Septem 145, 316, 348.
— Exspectationis Partus 355.
Humilitatis B. M. V. 355.
— Maternitatis 147, 355.
— Matris Dilectionis pulchræ 356.
Matris de Gratia 356.
— Matris Misericordiæ 356.
— Matris Pastoris Divini 146, 356.
— Matris Providentiæ Divinæ 356.
— de Mercede 316.
— Nativitatis B. M. V. 107, 316, 347.
— ad Nives 316.
— Nominis Mariæ 145, 348.
— a sacro Numismate 355.
— Præsentationis 316.
— Purificationis 107, 316, 342.
— Puritatis 147, 355.
— Refugium Peccatorum 356.
— Reginæ Apostolorum 147, 356.
— Reginæ Sanctorum Omnium 356.
— Rosarii 146, 349.
— Salus Infirmorum 356.
— de Succursu perpetuo 147, 356.
— de Suffragio 147.
— Translationis Almæ Domus 356.
— Visitationis 316.
Festa Sanctorum:
— Abraham Patriarchæ 317.
— Aloisii Gonzagæ Conf. 345.
— Andreæ Ap. 106, 317, 340.
— Aloisii Gonzagæ Conf. 345.
— Andreæ Ap. 106, 317, 340.
— — Vigilia 340.
— Angelorum Custodum 147, 315, 316.
— Annæ, Matris B. M. V. 107, 346.
— Augustini E. C. D. 347.
— Barnabæ Ap. 317.

Festa Sanctorum:
— Bartholomæi Ap. 107, 317, 347.
— — Vigilia 347.
— Benedicti Josephi Labre Conf. 357.
— Canuti Regis Mart. 341.
— Catharinæ Fliscæ Adurnæ 358.
— Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum 350.
— Commemoratio Omnium Ss. Summorum Pontificum 356.
— Cyriaci et Soc. Mm. 347.
— David Regis 317.
— Defunctorum Omnium Fidel. Commemoratio 350.
— Divisionis Apostolorum 317.
— Donati Ep. et Mart. 347.
— Eleutherii Papæ et Mart. 345.
— Eliæ Prophetæ 317.
— Elisabeth, Matris S. Joannis Bapt. 317.
— Elisei Prophetæ 317.
— Emigdii Ep. et Mart. 356.
— Faustini et Jovitæ Mm. 343.
— Felicis I Papæ et Mart. 345.
— Ferdinandi Regis Conf. 357.
— Fidelis a Sigmaringa Mart. 344.
— Francisci Seraph. Conf. 349.
— Francisci Xaverii 315.
— Fratrum Septem et Soc. Mm. 346.
— Gabrielis Archangeli 315, 316, 356.
— Gabrielis a Virgine Perdolente Conf. 357.
— Georgii Mart. 344.
— Gervasii et Protasii Mm. 345.
— Gregorii Armeni Ep. et Mart. 356.
— Helenæ Imp., Viduæ 358.
— Hieronymi Æmiliani Conf. 316, 346.
— Ignatii Ep. et Mart. 342.
— Ildefonsi Ep. et Conf. 356.
— Innocentium Mm. 107, 317, 337.
— Irenæi Ep. et Mart. 356.
— Isaac Patriarchæ 317.

Festa Sanctorum:
— Isidori Agricolæ Conf. 357.
— Jacob Patriarchæ 317.
— Jacobi Ap. 107, 317, 346.
— Joachim Patris B. M. V. 107, 145, 317, 347.
— Joannæ de Arc Virg. 357.
— Joannis Ap. et Ev. 107, 317, 337.
— Joannis Baptistæ Nativitas 107, 145, 316, 346.
— — Decollatio 315, 316.
— Joannis Bapt. de la Salle Conf. 316.
— Joannis Bapt. de Rossi Conf. 357.
— Joannis Berchmans Conf. 357.
— Joannis Cantii Conf. 349.
— Joannis Chrysostomi E. C. D. 341.
— Joannis Francisci Regis Conf. 357.
— B. Joannis Leonardi Conf. 357.
— Joannis Nepomuceni Mart. 316, 356.
— Josaphat Ep. et Mart. 350.
— Joseph (19. Martii) 107, 108, 315, 317.
— — Sollemnitas (post Pascha) 107, 145, 315, 317.
— Josephi ab Arimathæa 317.
— Josephi Calasanctii Conf. 316.
— Josephi a Cupertino Conf. 348.
— Latronis Boni 317.
— Laurentii Mart. 107, 347.
— Laurentii a Brundusio Conf. 357.
— Lazari resuscitati 317.
— Leonardi a Portu Mauritio Conf. 357.
— Leonis I Papæ et Conf. 315.
— Longini Militis 317.
— Lucæ Ev. 349.
— Luciæ Virg. et Mart. 341.
— Lucii I Papæ et Mart. 349.
— Marcelli Papæ et Mart. 341.
— Marcellini et Soc. Mm. 345.
— Marci Ev. 344.
— Marci Papæ et Conf. 349.
— Marci et Marcelliani Mm. 345.
— Margaritæ de Cortona Pœnitentis 358.

Festa Sanctorum:
— Margaritæ Mariæ Alacoque Virg. 357.
— Mariæ Magdalenæ Pœnitentis 317.
— Marii et Soc. Mm. 341.
— Marthæ Virg. 317.
— Martini Ep. et Conf. 350.
— Matthæi Ap. et Ev. 107, 317, 348.
— Matthiæ Ap. 107, 317, 343.
— Michaelis Archang. Dedicatio 107, 315, 316, 349.
— — Apparitio 316.
— Nicodemi Discipuli Domini 317.
— Omnium Sanctorum 107, 108, 350.
— Patroni principalis loci 107.
— Pauli a Cruce Conf. 344.
— Pauli primi Eremitæ Conf. 341.
— Perpetuæ et Felicitatis Mm. 343.
— Petri et Pauli App. 107, 108, 317, 346.
— — Vigilia 346.
— Petri Cathedra 317.
— Petri ad Vincula 317.
— Petri Mart. 344.
— Petri Claver 357.
— Petri Nolasci Conf. 342.
— Philippi et Jacobi App. 107, 317, 344.
— Philippi Benitii Conf. 347.
— Philumenæ Virg. et Mart. 357.
— Pontificum Summorum Omnium Commemoratio 356.
— Primi et Feliciani Mm. 345.
— Quadraginta Mm. 343.
— Quatuor Coronatorum Mm. 350.
— Raphaelis Archangeli 315, 356.
— Reliquiarum 357.
— Ritæ a Cassia Vid. 358.
— Rochi Conf. 357.
— Rosæ Viterbiensis Virg. 358.
— Sergii et Soc. Mm. 349.
— Silvestri Papæ et Conf. 107, 338.
— Simonis et Judæ App. 107, 317, 349.

Festa Sanctorum:
— Stanislai Ep. et Mart. 344.
— Stanislai Kostkæ Conf. 357.
— Stephani Protomart. 107, 317, 337.
— — Inventio 317.
— Thomæ Ap. 317, 341.
— — Vigilia 341.
— Thomæ Ep. et Mart. 337 s.
— Thomæ a Villanova Ep. et Conf. 348.
— Tryphonis et Soc. Mm. 350.
— Valentini Presb. et Mart. 349.
— Venantii Mart. 344.
— Veronicæ de Julianis Virg. 358.
— Wenceslai Ducis Mart. 348.
— Zachariæ Patris S. Joannis Bapt. 317.

G.

Gloria in excelsis 56, 131, 155, 165, 169, 218, 329. 338.
— — dicitur 218 s.
— — omittitur 221.
Gloria Patri 217 s.

H.

Hanc igitur 44, 132, 312 s.

I.

Ite, Missa est 56, 132, 163, 329, 338, 339.
Intonationes:
— *Gloria in excelsis* 339.
— *Credo* 339.
— *Ite, Missa est* 339.
Imparitatis lex observanda in Orationibus stricte votivis 224.
Improperia 338.
Inclinatio corporis profunda facienda in recessu ab altari 336.
Incruentum altaris sacrificium 25.
Innocentius III 25.

J.

Judica 218.

L.

Leo XIII 111, 119.
Litaniæ majores et minores 340.

M.

Malumore (i. e. periculum offensionis ex parte cleri et populi) non est gravis causa, quæ excuset a transferendis cadaveribus fidelium ad ecclesiam funeris 181.
Missæ Defunctorum 25, 26, 74, 172 ss.
— notio 172.
— distinctio 172.
— in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum 25, 173.
— conventualis prima die mensis cujusque libera 25, 175.
— conventualis Feria II cujuslibet hebdomadæ 27, 170.
— exsequialis 28, 29, 30, 177 s.
— — cantata 28.
— — lecta pro pauperibus 28, 178.
— — numerus 177.
— — ritus 178.
— — locus 179.
— — tempus 178.
— — absente cadavere 179.
— — prohibetur 28, 181.
— — permittitur 183.
— — translatio 29, 185.
— — in Commemoratione Omnium Fid. Def. 29, 30, 185.
— privatæ pro die obitus 30, 187 ss.
— — in ecclesiis et oratoriis publicis 191.
— — in oratoriis semipublicis, quæ locum teneant ecclesiæ aut oratorii publici 193.
— — in oratoriis semipublicis, quæ horum locum non teneant 194.
— — in oratoriis stricte privatis 194.
— post acceptum mortis nuntium 31, 197 ss.

Missæ de die III, VII, XXX et anniversaria 30, 194.
— in ecclesia vel oratorio sepulcreti 32, 33, 200 s.
— quotidianæ 33, 34, 204 s.
— — earum distinctio 205.
— — privatæ cantatæ 33, 205 s.
— — privatæ lectæ 34, 206.
— quando semper sint prohibitæ 35, 210.
Missæ de sancta Maria in Sabbato 72.
Missarum distinctio 77.
Missa adventicia 78.
— alta 78.
— annualis 78.
— aurea 149 s.
— bassa 78.
— cantata 78.
— capitularis 78.
— Catechumenorum 77.
— conformis Officio 80.
— non conformis Officio 81.
— conventualis 8, 9, 10, 11, 12, 78, 82.
— — notio 82.
— — distinctio 82.
— — ad eamdem obligatio 83.
— — applicatio 84.
— — tempus 85.
— — privilegia 88.
— — numerus et locus 89.
— — unica 13, 90, 103.
— — duæ 95.
— — tres 102.
— Fidelium 77.
— fundata 78.
— generalis 78.
— lecta 78.
— legata 78.
— major 78.
— plana 78.
— manualis 78.
— parochialis 24, 78, 106 ss.

— — notio 106.
— — a quibus celebranda 108.
— — quomodo celebranda 106.
— — qualitas 111.
— præcipua 78.
— privatæ 8, 9, 10, 11, 12, 16, 78, 112 ss.
— — quoad Ferias majores non privilegiatas propriam Missam habentes 112, 114.
— — quoad Vigilias communes 113, 114.
— — de Dominica primo resumenda 14, 15, 16, 115.
— — quoad Festa quædam perpetuo vel accidentaliter impedita 38, 116.
— — quoad Officia ad Laudes commemorata et alia 39, 117.
— publica 78.
— secreta 78.
— sollemnis 78.
Missa in ecclesia aliena 39, 40, 211 ss.
Missa in oratoriis privatis 213.
Missæ *Rorate* 150.
Missæ pro aliquibus locis 76, 354.
Missæ votivæ 16—24, 72, 118 ss., 353.
— notio 118.
— distinctio 119.
— intrinsece sollemnes 19, 20, 126.
— — quando prohibitæ 128.
— — quando permissæ 129.
— — de identico Domini Mysterio vel de eadem Sancti Persona 130.
— — de Officio diei cum Oratione votiva 130.
— — ritus 131.
— privatæ 167 ss.
— — notio 167.
— — distinctio 168.
— — ritus 168.
— — lectæ 16, 17, 169, 170.
— — cantatæ 23, 24, 170 s.
— privilegiatæ 133 s.

— — de Patrono, Titulo etc. per accidens impeditis 133—138.
— — cum magno populi concursu 141.
— — de sollemnitate externa in Dominicam translata 143.
— quando semper prohibeantur 24.
— de Corde Jesu 21, 158 ss.
— de Omnibus Sanctis 48, 49, 50, 350.
— de S. Petro seorsim a S. Paulo 346.
— de S. Paulo seorsim a S. Petro 346.
— in anniversariis utrisque Summi Pontificis et Episcopi 151 ss.
— in benedictione primarii lapidis vel in sollemni benedictione alicujus ecclesiæ 157.
— in consecratione altaris 156.
— in ipsa die Dedicationis ecclesiæ 154.
— pro Sponsis 17—19, 159 ss.
— — extra tempus clausum 164.
— — tempore clauso 165.
— — commemorata in Missa diei currentis 166.
Missalis Romani partitio 67 ss.
Monitiones 338.
Mutationes in Missali factæ 335 ss.

O.

Occurrentia et translatio Festorum 36—40, 133 ss.
Orationes 45—55, 222 ss.
— structura 222.
— distinctio 223.
— numerus 225.
— conclusio 225.
— mutatio 228 s.
— in anniversario propriæ ordinationis sacerdotalis 270.
— in anniversario utroque Summi Pontificis et Episcopi 266 ss.
— diversæ ad libitum 74.
— diversæ pro Defunctis 75.
— in Missis Defunctorum 34, 208 ss.

— — numerus 208.
— — quæ dicendæ sint, si plures occurrant 209.
— pro Defunctis 55, 280 ss.
— late votivæ 260.
— — notio 260.
— — numerus et ordo 261.
— — distinctio 261.
— stricte votivæ 55, 278 ss.
— — notio 278.
— — numerus et locus 278.
— — prohibentur 279.
— — permittuntur 279.
— — unde sumendæ 280.
— — ordo servandus 280.
Oratio XL Horarum 19, 148.
— notio 148.
— privilegia 149.
Oratio *A cunctis* 40, 47, 48, 49, 224, 231, 244, 248, 250, 253, 254 ss.
Oratio 3. ad libitum 46, 251 ss.
Oratio *Concede nos* 47, 49, 224, 244, 249, 250, 251, 260.
Oratio *Concede, quæsumus* 47, 253.
Oratio *Da, quæsumus* 70, 351.
Oratio *Defende, quæsumus* 231.
Oratio *Deus Abraham* 163.
Oratio *Deus, a quo et Judas* 332.
Oratio *Deus, qui de beatæ* 48, 244, 247, 260.
Oratio *Deus, qui invisibiliter* 155.
Oratio *Deus, qui potestate* 163.
Oratio *Deus, qui salutis* 48, 50, 244, 248, 260.
Oratio *Deus, refugium nostrum* 231.
Oratio *Deus, veniæ largitor* 35, 209.
Oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa 48, 49, 50, 244, 247, 248, 249, 250, 251, 253, 258 s.
Oratio *Fidelium* 26, 27, 35, 280 ss.
— tamquam Commemoratio 281 s.
— prima die cujusque mensis 284.
— Feria II cujuslibet hebdomadæ 285.
— tamquam Oratio stricte votiva 282 ss.

— in quibus Missis addi possit 283.
— ejus locus 286.
Oratio *Ne despicias* 231.
Oratio *Omnipotens* 49, 244, 280, 284.
Oratio *Propitiare* 163.
Oratio *Quæsumus* 351.
Oratio de Ssmo Sacramento 261 s.
Oratio de Spiritu Sancto 49, 50, 244.
Oratio pro Episcopo 22, 268 s.
Oratio pro Papa 21, 244, 247—251, 258 s., 268.
Orationum Tabula 340.
Ordo in Collectis dicendis servandus 54.
Ordo incensationis 69.
Ordo Missæ 69.

P.

Pœnultimo loco, quomodo intelligendum 26, 281.
Partitio Missalis 67.
Patronum inter et Titulum discrimen 133.
Pius V. 67.
Pius X. 3, 8, 67, 285.
Præfatio 58—60, 293 ss.
— regulæ generales 293.
— exceptiones ab his regulis 297.
— quæ dicenda in Dominica 295.
Præfationes in specie:
— de Nativitate 301, 339.
— de Epiphania 303.
— de Quadragesima 303.
— de Cruce et de Passione 304.
— de Paschate et Tempore Paschali 305.
— de Ascensione 306, 339.
— de Pentecoste et de Spiritu Sancto 307.
— de Ssma Trinitate 307.
— de B. Maria Virg. 308.
— de S. Joseph 309, 339.
— de Apostolis 310.
— communis 311.
— Defunctorum 312, 339.

Preces ante et post Missam 69.
Preces post Missam 320 s.
— omitti debent 320.
— omitti possunt 321.
Privilegium pro Sacerdotibus cæcutientibus 214 s.
Proprium de Tempore 69, 337.
Proprium Sanctorum 70, 340.

R.

Reformatio Missalis 3.
Reliquia insignis 290 s.
Requiescant in pace 329.
Ritus servandus in celebratione Missæ 69.
Rubricæ novæ Missalis relate ad Rubricas generales Missalis 7.
Rubricæ generales Missalis 68.

S.

Sabbato sancto 338.
Sacerdotes cæcutientes 214 ss.
Septenarius numerus Orationum 55.
Sequentia 57, 286 s.
— *Dies iræ* 35, 209 s.
Sollemnitas externa Festorum 37, 38, 143 ss.
Symbolum 57, 58, 287 ss.

T.

Tabula Orationum 340.
Tempus clausum pro benedictione nuptiali 159 s.
Titulum inter et Patronum discrimen 133.
Translationis Episcopi anniversarium 21.

U.

Urbanus VIII. 67.

V.

Van der Stappen 66, 122, 201, 258.
Variationes in Rubricis 7—64.

INDEX

pag.

Præfatio 3

I

Additiones et Variationes
in Rubricis Missalis ad normam Bullæ *Divino afflatu* et subsequentium S. R. C. Decretorum

Nota 6
I De Feria et de Vigilia (Nota 1—18) . 7
II De Missis votivis (Nota 19—37) . . . 16
III De Missis Defunctorum (Nota 38—70) 25
IV De occurrentia et de translatione Festorum (Nota 71—83) 36
V De Commemorationibus (Nota 84—92) 40
VI De Orationibus (Nota 93—122) . . . 45
VII De Hymno Angelico, de Sequentia et de Symbolo. (Nota 123—134) 56
VIII De Præfatione (Nota 135—144) . . . 58
IX De Evangelio in fine Missæ (Nota 142—147) 60
X De Colore Paramentorum et de Cantu in Missa (Nota 148—150) 63

II

Regulæ ex Rubricis Missalis excerptæ

Notæ 66

I De Missalis Romani partitione

I Introductio 67
II Ordo Missæ 69

pag.
III Proprium de Tempore 69
IV Proprium Sanctorum 70
V Commune Sanctorum 70
VI Missæ votivæ 72
VII Orationes diversæ ad libitum juxta Rubricas 74
VIII Missæ Defunctorum 74
IX Variæ Benedictionum formulæ ex Rituali Romano desumptæ 76
X Missæ propriæ, quæ in aliquibus locis celebrari possunt 76

II De Missarum distinctione

A Uniuscujusque Missæ partes 77
I Missa Catechumenorum 77
II Missa Fidelium 77
B Missæ diversæ distinguuntur: 77
I ratione sollemnitatis 77
II ratione obligationis publicæ 78
III relate ad Officium recitatum 80
1. Officio conformes 80
2. Officio non conformes 81

III De Missa conventuali

A Prænotanda 82
I Missæ conventualis notio 82
II Missarum conventualium distinctio . . 82
III De obligatione ad Missam conventualem 83
IV Missæ conventualis applicatio 83
V Missæ conventualis tempus 85
VI Missæ conventualis privilegia 88
VII Ejus numerus et locus 89
B Regulæ circa qualitatem Missæ conventualis 90
I Unica Missa conventualis 90
1. Officio conformis 90
2. Officio non conformis 94

pag.
II Duæ Missæ conventuales 95
A Missæ conventuales extra Rogationes 95
I in occursu Feriæ majoris non privilegiatæ, propriam Missam habentis, aut Vigiliæ communis cum Officio duplici aut semiduplici 95
II in occursu Feriæ majoris non privilegiatæ, propriam Missam habentis, cum Vigilia communi et Officio duplici vel semiduplici 97
B Missæ conventuales in diebus Rogationum 98
I Feria II Rogationum 98
A Si non fiat Processio 98
B Si fiat Processio 99
II Feria III Rogationum 99
A Si non fiat Processio 99
B Si fiat Processio 100
III Feria IV Rogationum et Vigilia Ascensionis 100
A Si non fiat Processio 100
B Si fiat Processio 101
IV In Litaniis majoribus 102
A Infra Octavam Paschæ 102
I Si non fiat Processio . . . 102
II Si fiat Processio 102
B Extra Octavam Paschæ . . . 102
I Si non fiat Processio . . . 102
II Si fiat Processio 102
III Tres Missæ conventuales 103
IV Una tantum Missa conventualis per exceptionem 103

IV De Missa parochiali

A Ejus notio 106
B Fusior explicatio 106
I Quando celebrari debeat 106
II Qui ad Missæ applicationem obligentur 108
III De qualitate Missæ parochialis 111

pag.

V De Missis privatis

A Quoad Ferias majores non privilegiatas propria Missa gaudentes 112
I Casus 112
II Casus 113
B Quoad Vigilias communes 113
I Casus 113
II Casus 114
III Casus 114
IV Casus 114
C Quoad Ferias majores non privilegiatas, ut supra, et Vigilias communes 114
I Casus 114
II Casus 115
III Casus 115
IV Casus 115
D Quoad Missam de Dominica primo resumendam 115
E Quoad Festa quædam perpetuo vel accidentaliter impedita 116
F Quoad Officia ad Laudes commemorata et alia 117

VI De Missis votivis in genere

I Quid sit Missa votiva 118
II Missarum votivarum distinctio 119
A ratione objecti 119
I in Missas votivas de Sanctis 119
II in Missas votivas de Mysteriis 121
III in Missas votivas pro diversis necessitatibus 122
B ratione sollemnitatis extrinsecæ 122
C ratione sollemnitatis intrinsecæ 122
D ratione suffectionis in Choro loco Missæ conventualis de Feria communi 125

VII De Missis votivis intrinsece sollemnibus

I Quid sit Missa intrinsece sollemnis 126
II Missæ votivæ sollemnes prohibentur . . . 128
III Missæ votivæ sollemnes permittuntur . . . 129

pag.
IV Missa votiva sollemnis de identico Domini Mysterio vel de eadem Sancti Persona, de quibus celebratur Officium diei 130
V Missa de Officio diei cum Oratione votiva . 130
VI Ritus Missæ votivæ sollemnis 131

VIII De Missis votivis privilegiatis

A Missa de Patrono, Titulo vel Sancto Fundatore per accidens impeditis 133
I Discrimen inter Patronum et Titulum . 133
A De Patrono 134
B De Titulo 136
II Privilegium per Rubricam concessum . 138
A Textus Rubricæ 138
B Explicatio Rubricæ 138
B Missa cum magno populi concursu quibusdam in casibus celebrata 141
C Missæ de solemnitate externa translata in Dominicam . . . 143
I Prænotanda 143
II De sollemnitate externa Patroni, Tituli, Dedicationis 144
III De sollemnitate externa Festorum olim alicui Dominicæ minori per annum perpetuo affixorum 145
D De Missa in Oratione XL Horarum 148
I Ejus notio 148
II Ejus privilegia 149
E Missa aurea 149
I Ejus notio 149
II Quæ Missa celebretur et quomodo . . . 149
III Aliæ Missæ *Rorate* 150
F Missæ in anniversariis Summi Pontificis et Episcopi 151
I De utroque anniversario Summi Pontificis 151

pag.
II De utroque anniversario Episcopi . . . 152
III Annotationes 152
G Missa votiva in ipsa die Dedicationis ecclesiæ 154
I Prænotanda 154
II Quomodo et quando celebretur Missa de Dedicatione 155
H Missa Dedicationis in sollemni consecratione altaris 156
I Prænotanda 156
II De Missa in sollemni consecratione altaris 156
I Missa in benedictione primarii lapidis vel in benedictione sollemni alicujus ecclesiæ 157
I Prænotanda 157
II Quæ Missa dicenda sit. 158
K Missa votiva de Ssmo Corde Jesu 158
I Quando celebretur 158
II Quomodo celebretur 158
III Quando prohibeatur 159
L Missa votiva pro Sponsis 159
I Prænotanda 159
A De tempore clauso 159
B De Benedictione nuptiali 160
I Ratione circumstantiarum . . . 160
II Ratione personarum accipientium 161
III Ratione eam dantis 162
IV Ratione ritus 162
II Missa votiva pro Sponsis extra tempus clausum pro Benedictione 164
III Missa votiva pro Sponsis tempore clauso 165
IV Commemoratio pro Sponsis et Benedictio nuptialis in Missa de die, tam extra quam intra tempus clausum 166

IX De Missis votivis privatis

A Prænotanda 167
I Notio Missæ votivæ privatæ 167

pag.
II Distinctio Missarum votivarum privatarum 168
III Ritus Missæ votivæ privatæ 168
B De Missis votivis privatis lectis 169
I Missæ votivæ privatæ lectæ prohibentur 169
II Missæ votivæ privatæ lectæ permittuntur 170
C De Missis votivis privatis cantatis 170
I Missæ votivæ privatæ cantatæ prohibentur 170
II Missæ votivæ privatæ cantatæ permittuntur 171

X De Missis Defunctorum

A Prænotanda 172
I Quid sint 172
II Quomodo distinguantur 172
B Missæ in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum . 173
C De Missis conventualibus de Requie in Feriis quibusdam minoribus 175
I Prima die mensis libera 175
II Feria II cujuslibet hebdomadæ 177
D De Missa exsequiali 177
A Prænotanda 177
I Numerus Missæ exsequialis 177
II Ritus Missæ exsequialis 178
III Tempus Missæ exsequialis 178
IV Locus Missæ exsequialis 179
V Etiam absente rationabilem ob causam cadavere 179
B Missa exsequialis prohibetur 181
C Missa exsequialis permittitur 183
D De Missæ exsequialis translatione 185
E De Missa exsequiali in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum 185
E De Missis privatis de Requie pro die obitus 187
A De notione ecclesiæ et oratorii 187
B Missæ privatæ de Requie pro die obitus in ecclesiis et oratoriis publicis 191

pag.

C Missæ privatæ de Requie pro die obitus in oratoriis semipublicis. quæ locum teneant ecclesiæ aut oratorii publici 193

D Missæ privatæ de Requie pro die obitus in oratoriis semipublicis, quæ locum non teneant ecclesiæ aut oratorii publici, et in oratoriis stricte privatis 194

F De Missis in die III, VII, XXX et anniversaria ab obitu vel depositione Defunctorum et opportuniori die post acceptum mortis nuntium 194

A Notiones præviæ 194

I De die III, VII, XXX 194

II De anniversariis 196

III De Missa post acceptum mortis nuntium 197

B Accuratior definitio privilegii his diebus concessi 198

I Quæ Missæ et quando concedantur . 198

II Hæ Missæ prohibentur 199

III Hæ Missæ permittuntur 199

IV De Missarum translatione 200

G De Missis in ecclesia vel oratorio publico, immo et privato sepulcreti 200

A De ecclesiis et oratoriis sepulcreti 200

B Privilegium hisce ecclesiis et oratoriis concessum 201

I Mens privilegii 202

II Extensio privilegii 203

1. ratione loci 203

2. ratione temporis 203

H De Missis quotidianis Defunctorum 204

A Quæ et quot sint 204

B Earum distinctio 205

pag.
C Missæ quotidianæ privatæ cantatæ . . . 205
I prohibentur 205
II permittuntur 206
D Missæ quotidianæ privatæ lectæ 206
I Extra Quadragesimam 206
1. prohibentur 206
2. permittuntur 207
II In Quadragesima 207
I De Orationibus in Missis Defunctorum 208
A De Orationum numero 208
B Quæ Orationes sint dicendæ, si plures occurrant 209
K De Sequentia in Missis Defunctorum 209
I Sequentia dici debet 209
II Sequentia dici vel omitti potest . . . 210
L Quando Missæ Defunctorum omnino prohibeantur 210

XI De Missa in ecclesia aliena

I Textus Rubricæ 211
II Fusior explicatio 211
1. Quivis Sacerdos 211
2. celebrans in ecclesia aliena 212
3. Missam 212
4. sequi debet Kalendarium ecclesiæ alienæ 212
5. exlusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum et ecclesiarum propriis 212

XII De Missa in oratoriis privatis

Quando Missa in his oratoriis prohibeatur . . . 213

XIII Privilegium pro Sacerdotibus cæcutientibus

I Condiciones 214
II Missæ concessæ Sacerdoti cæcutienti . . . 215
1. Missa de B. Maria Virg. 215
2. Missa de Requie 216

pag.

XIV Alleluja

In quibus Missis Tempore Paschali addendum sit. 217

XV Versus Gloria Patri

Quando omittendus sit 217

XVI Psalmus Judica

Quando omittendus sit 218

XVII Gloria in excelsis

A Dicitur 218
I In Missis Officio conformibus 218
II In Missis Officio non conformibus 219
B Omittitur 221
I In Missis Officio conformibus 221
II In Missis Officio non conformibus . . . 222

XVIII Orationes in genere

I Orationum structura 222
II Orationum distinctio 223
III Orationum numerus 225
IV Orationum conclusio 225
V Orationum Mutatio 228
A Orationes mutandæ propter identitatem textus 228
1 Diversi casus 228
2 Regula Rubricæ 229
B Orationes mutandæ propter identitatem objecti 230

XIX Commemorationes speciales

A In Missa diei 232
I Principium generale 232
II Exceptiones 233
B In Missis votivis privatis 235
I Principium generale 235
II In specie animadvertendum 236
C In Missis votivis sollemnibus pro re gravi et publica simul causa celebratis, item in quibusdam privilegiatis ad instar sollemnium . . . 236

pag.
I De quibus Missis agatur 237
II Facienda est Commemoratio 238
III Non est facienda Commemoratio . . . 240
IV Oratio Missæ votivæ sub unica conclusione cum prima 240
V Oratio sollemnitatis externæ sub unica conclusione cum prima 240
D Si plures habeantur Missæ cantatæ aut conventuales 242
I De quibus casibus agatur 242
II Regulæ pro his casibus 243

XX Commemorationes communes

A Quæ sint 244
B In quibus Missis dicantur 245
C Quo numero dicantur 246
D Quibus Temporibus dicantur 247
E De quibusdam Orationibus communibus in specie 251
I Oratio 3 ad libitum eligenda 251
II Oratio *A cunctis* 254
III Oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa 258
IV Orationes de B. Maria Virgine 260

XXI Orationes late votivæ

A Notiones præviæ 260
I Quid sint 260
II Earum numerus et ordo 261
III Earum distinctio 261
B Oratio de Ssmo Sacramento . . 261
I Varia expositionis genera 262
II Regula quoad Orationem de Ssmo Sacramento 262
1. respectu expositionis 263
2. ratione qualitatis Missæ 264
3. Orationis locus 264
4. Casus quidam speciales 266
C Oratio in anniversariis Summi Pontificis et Episcopi 266

pag.
I De utroque anniversario Summi Pontificis 266
II De utroque anniversario Episcopi . . . 268
III Orationum locus 269
D Oratio in anniversario propriæ Ordinationis sacerdotalis . . . 270
I Quæ et qualis sit Oratio 270
II Hujus Orationis locus 270
III Hujus Orationis conclusio 271
IV Anniversarii computatio 271
V Hæc Oratio prohibetur 271
VI Anniversarii translatio 271
E Collectæ ab Ordinario imperatæ 271
I Collectæ notio 271
II Ratio pro Collecta præscribenda . . . 271
III Collectarum distinctio 272
IV Collectarum auctor 272
V Obligatio ad Collectam 273
VI Collectarum numerus 273
VII Collectarum locus 273
VIII Collectarum conclusio 274
IX Collectæ prohibentur 274
X Collectarum ordo 276
XI Collectæ pro Defunctis 276

XXII Orationes stricte votivæ

I Quid sint 278
II Earum numerus et locus 278
III Prohibentur 279
IV Permittuntur 279
V Unde sumi possint 280
VI Ordo in eis servandus 280

XXIII Oratio Fidelium et aliæ pro Defunctis

A Oratio *Fidelium* tamquam Commemoratio dici debet 281
I Prima die cujusque mensis 281
II Feria II cujuslibet hebdomadæ 282

pag.

B Oratio *Fidelium* et aliæ Orationes pro Defunctis dici possunt ut Orationes stricte votivæ 282
I In quibus Missis addi possit 283
1. Prima classis 283
2. Secunda classis 284
II Hujus Orationis locus 286

XXIV Sequentiæ

A Quæ aliquibus Festis assignantur 286
B Sequentia *Dies iræ* 287

XXV Credo

A Dicitur Symbolum 287
I ratione mysterii 287
II ratione doctrinæ 289
III ratione sollemnitatis 290
B Non dicitur Symbolum 290

XXVI De Præfatione

A De Præfatione in genere 293
I Regulæ generales 293
II Quæ Præfatio dicenda sit in Dominica 295
III Exceptiones a Regulis generalibus . . 297
B De singulis Præfationibus in specie 300
I Prænotanda quoad cantum 300
II Præfatio de Nativitate 301
III Præfatio de Epiphania 303
IV Præfatio de Quadragesima 303
V Præfatio de Cruce 304
VI Præfatio de Paschate 305
VII Præfatio de Ascensione 306
VIII Præfatio de Pentecoste 307
IX Præfatio de Ssma Trinitate 307
X Præfatio de B. Maria Virgine 308
XI Præfatio de S. Joseph 309
XII Præfatio de Apostolis 310
XIII Præfatio communis 311
XIV Præfatio pro Defunctis 312

pag.

XXVII Communicantes et Hanc igitur

I *Communicantes* proprium habetur 312
II *Hanc igitur* proprium habetur 312
III Regulæ circa *Communicantes* et *Hanc igitur* 313

XXVIII De Evangelio in fine Missæ

I Ultimum Evangelium ex Missa Officii commemorati 313
II Exceptiones 319
III Evangelium S. Joannis 319
IV Casus speciales 320

XXIX De Precibus post Missam

I Hæ Preces omitti debent 320
II Hæ Preces omitti possunt 321
III Hæ Preces omitti non possunt . . . 321

XXX De coloribus Paramentorum

A Prænotanda 322
B De singulis coloribus in Missa adhibendis . . 322
I Color albus adhibetur
A In Missis de Tempore 322
B In Missis de Sanctis 323
C In Missis votivis 324
D In speciali functione 324
II Color ruber adhibetur
A In Missis de Tempore 324
B In Missis de Sanctis 324
C In Missis votivis 325
III Color viridis 326
IV Color violaceus adhibetur
A In Missis de Tempore 326
B In Missis de Sanctis 326
C In Missis votivis 326
D In Missis in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum quibusdam occasionibus celebratis 327
E In nonnullis sacris functionibus . . . 327

pag.
V Color rosaceus 327
VI Color niger 328
C Specialiter notanda 328

XXXI De cantu in Missa

Qualis cantus in singulis Missis adhibeatur . . 329

III

Elenchus Mutationum
in Missalis editione typica factarum

Nota 334
I Mutationes per integrum Missale factæ (Num. 1—2) 335
II Mutationes in foliis præliminaribus (Num. 3—12) 335
III Mutationes in Proprio de Tempore 1. (Num. 13—28) 338
IV Mutationes in Ordine Missæ (Num. 29—36) 339
V Mutationes in Canone Missæ (Num. 37—39) 339
VI Mutationes in Proprio de Tempore 2. (Num. 40—41) 340
VII Mutationes in Proprio Sanctorum (Num. 42—156) 340
VIII Mutationes in Appendice pro aliquibus locis (Num. 157—160) 354

Index rerum 359

Apud eumdem typographum eodem auctore prodierunt:

Die Neuerungen im Missale. Zusammengestellt und erläutert. 8°. 452 Seiten. — 1920
Ungebunden Mk. 40.— Gebunden Mk. 53.—

Die Neuerungen im Brevier. Zusammengestellt und erläutert. 12°. 184 Seiten. — 1914
Steif kartoniert Mk. 2.25

Conspectus pro Officio Divino juxta novissimas Mutationes rite persolvendo. Editio quinta aucta et emendata. 18°. 188 Seiten. — 1914
Steif kartoniert Mk. 1.50

Epistola S. Athanasii Episcopi ad Marcellinum in interpretationem Psalmorum. 24°. 44 Seiten. — 1912
Geheftet Mk. 0.80

Bibliotheca ascetica

edita a

Francisco Brehm

Sacerdote

Hujus Bibliothecæ asceticæ edendæ finis et ratio est, præbere clerico sacerdotique pio collectionem quandam librorum commodissime institutam et nitidissime exornatam, qui ex omnium consensu haud inepti esse videntur ad profectum in vita spirituali fovendum et augendum.

Prodibunt vero singula volumina ad instar librorum liturgicorum in 24° exornata, typis rubri et nigri coloris composita, lineis rubris circumamicta, aucta, quantum apte fieri potest, imaginibus a Fr. M. Schmalzl depictis, impressa in charta subtili non dilucida.

Hucusque prodierunt (de pretiis novis nondum constat; indicabuntur postea):

1. De Imitatione Christi libri quatuor auctore Thoma a Kempis. Pag. XXIV et 400. Editio tertia. Præter introductionem biographicam et asceticam additæ sunt duæ Appendices de œconomia libelli de Imitatione Christi, insuper perampli indices rerum et orationum in libello contentarum. — 1921

2. Exercitia spiritualia S. P. Ignatii de Loyola. Pag. XL et 600. Editio altera. Præter Litteras encyclicas R. P. Roothan continet item duas Appendices, nempe Directorium in Exercitia spiritualia et libellum R. P. Roothaan de ratione meditandi; insuper peramplos indices rerum notabilium. — 1920

3. Vita D. N. Jesu Christi ipsis Sanctorum Evangeliorum verbis concinnata auctore P. J. B. Lohmann S.-J. et P. V. Cathrein S. J. (Harmonia Evangeliorum latina). Pag. XII et 372. Editio altera, quæ prodibit 1921.

4. Memoriale vitæ sacerdotalis auctore Cl. Arvisenet. Pag. XII et 400. — 1911

5. Certamen spirituale auctore V. P. L. Scupoli. Pag. XII et 448. Cum 2 Appendicibus de Tentationibus et Examine conscientiæ auctore P. Alf. Rodriguez S. J. — 1913

6. De magno orationis medio auctore S. Alf. de Ligorio. Cum 2 Appendicibus de Oratione auctore P. A. Rodriguez S. J. et S. Athanasii ad Marcellinum epistola in interpretationem Psalmorum. Pag. XVI et 424. — 1913

7. De sacrificio Missæ auctore Joanne Card. Bona. Cum tribus Appendicibus continentibus P. Gasparis Druzbicki S. J. tractatum de effectibus, fructu et applicatione Ssmi Missæ Sacrificii, opusculum Jacobi Merlo Horstii: Aphorismi eucharistici, necnon Preces pro Præparatione et Gratiarum Actione ex Missali Romano. Pag. XII et 452. — 1913

8. Mensis Eucharisticus sive Exercitia eucharistica et liturgica ante et post Missam auctore P. G. Druzbicki S. J. Pag. VIII et 648. — 1913

9. Idea theologiæ asceticæ scientiam Sanctorum exhibens, P. Francisci Neumayr S. J. opus posthumum, cui accedit Appendicis instar P. Gasparis Druzbicki S. J. Lapis lydius boni spiritus. Pag. XX et 372. — 1919

10. Scintillæ Ignatianæ sive S. Ignatii de Loyola Sententiæ et effata sacra, quæ per singulos anni dies distribuit P. Gabriel Hevenesi S. J., cum Appendice continente Sententias S. Philippi Nerii. Pag. VIII et 476. — 1919

Prodibunt versus initium 1921:

11. Dux spiritualis I auctore V. P. Ludovico de Ponte S. J., interprete P. Melchiore Trevinnio S. J. Tractatus primus: De familiari modo cum Deo agendi in oratione deque Dei in ea inspirationibus. Pag. XXXII et 520. — 1921

12. Dux spiritualis II auctore V. P. Ludovico de Ponte S. J., interprete P. Melchiore Trevinnio S. J. Tractatus secundus et tertius: De sacra lectione et meditatione, De perfecta contemplatione ac unitione cum Deo. Pag. 654. — 1921

13. Dux spiritualis III auctore V. P. Ludovico de Ponte S. J., interprete P. Melchiore Trevinnio S. J. Tractatus quartus: De mortificatione excellentioribusque operibus, quæ vel sunt fructus vitæ contemplativæ vel ad eam disponunt. Pag. ca. 550. — 1921

Collectio continuabitur.

Extra Bibliothecæ asceticæ seriem, sed in ejusdem forma exteriori apparuit 1913

Novum Jesu Christi Testamentum pag. 540.

Versus finem 1920 prodibit:

Sequere Jesum! Ven. Thomæ a Kempis de Imitatione Christi liber ad mentem S. Ignatii de Loyola ad ejusque Exercitiorum spiritualium ordinem redactus et dispositus a P. Adolpho Müller S. J. Pag. XX et 368.

Memoriale Rituum pro aliquibus præstantioribus sacris functionibus persolvendis in minoribus Ecclesiis, Benedicti XIII Pontificis Maximi jussu editum, Benedicti Papæ XV auctoritate recognitum.

In 8°. Editio typica. Pag. 75.
Non ligatum Mk. 10.00 Ligatum Mk. 15.00

In 18°. Editio prima juxta typicam. Pag. 104.
Non ligatum Mk. 3.00 Ligatum Mk. 6.00

EDITIONES RATISBONENSES

MISSALIS ROMANI

MISSALE ROMANUM ex Decreto sacrosancti Concilii Tridentini restitutum, S. Pii V Pontificis Maximi jussu editum, aliorum Pontificum cura recognitum, a Pio X reformatum et Ssmi D. N. Benedicti XV auctoritate vulgatum.

Pro usu in Altari:

In Folio minori. Editio 1 juxta typicam Vaticanam. Lig. 36 × 25 cm. Significatio libri *non* ligati: Missale Rom. 1.

Pretium libri *non* ligati Mk. 200; Pretia libri ligati: Mk. 475 vel 515 vel 535.

In Quarto majori. Editio 2 juxta typicam Vaticanam. Lig. 32 × 23 cm. Significatio libri *non* ligati: Missale Rom. 2.

Pretium libri *non* ligati Mk. 150; Pretia libri ligati: Mk. 375 vel 415 vel 432.

In Quarto minori (pro Altaribus angustioribus). Editio 5 juxta typicam Vaticanam. Lig. 29 × 21 cm. Significatio libri *non* ligati: Missale Rom. 3.

Prodibit circa Pascha 1921.

Pro usu manuali:

In 18°. Editio 3 juxta typicam Vaticanam. Lig. $15^1/_2 \times 10$ cm. Significatio libri *non* ligati: Missale Rom. 7.

Pretium libri *non* ligati Mk. 35.00

In 48°. Editio 4 juxta typicam Vaticanam. Lig. $12^1/_2 \times 8$ cm. Significatio libri *non* ligati: Missale Rom. 9.

Pretium libri *non* ligati Mk. 34.00

Pretia librorum ligatorum pro utraque editione manuali indicabuntur postea.

Ad Missalia prædicta præparantur etiam **Propria** pro singulis Diœcesibus vel Religiosis Institutis.

MISSÆ DEFUNCTORUM.

In Folio minori. Significatio libri *non* ligati: Missæ Def. 1.

Pretium libri *non* ligati Mk. 10; Pretia libri ligati: Mk. 35 vel 42 vel 92 vel 100.

In Quarto majori. Significatio libri *non* ligati: Missæ Def. 2.

Pretium libri *non* ligati Mk. 8; Pretia libri ligati: Mk. 32 vel 37 vel 85 vel 90.

Præparantur:

Missale ad usum Sacerdotum cæcutientium.

Canon Missæ ad usum Episcoporum in Fol. min. et 4° min.

Epistolæ et Evangelia.

284.2
B834

Brehm, Francisco.

Synopsis additionum et variationum in ed. typica missalis Romani factarum.

DATE	ISSUED TO
APR 16	Kenny JUL 4

284.2
B834